DISPUTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

AESCHYLI CHOEPHORIS, DEQUE ELECTRA CUM SOPHOCLIS TUM EURIPIDIS.

DISPUTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

AESCHYLI CHOEPHORIS, DEQUE ELECTRA CUM SOPHOCLIS TUM EURIPIDIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUCAE SURINGAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

IOANNES VINCENTIUS WESTRIK,

BERBICENSIS.

AD DIEM XX DECEMBRIS MDCCCXXVI. HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. C. CYFVEER.

MDCCCXXVI.

PRAECEPTORIBUS

S.

Peropportune ad historiam Graecae tragoediae accidit, ut idem argumentum a tribus nobilissimis poëtis, et quidem his, in quibus quasi tres aetates tragoediae discretas videmus, tractaretur, eaeque fabulae omnes ad nostra tempora superstites essent.

HERMANNUS.

DISPUTATIO LITERARIA

DE

AESCHYLI CHOEPHORIS, DEQUE ELECTRA CUM SOPHOCLIS TUM EURIPIDIS.

INTRODUCTIO.

Etsi vix mihi persuadere possum lectores inventurum esse libellum, eius tamen conscripti rationes a me reddendas esse sentio, ne ab ipso auctore desertus plane, et quasi fastiditus in lucem prodire videatur. Primo igitur loco de argumento dicendum est. Nam, ut antiquiores taceam, ab eo inde tempore, quo Valckenaerius ad tragicos poëtas melius illustrandos et emendandos quasi signum aliquod sustulit, ad eorum interpretationem tot et tanti viri, tamque insigni diligentia, accesserunt, ut, sive res sive verba spectes, singula exposita, emendata, explicata esse reperias. Quod si nonnulla etiamnum non ita nitent, ut non naevi

qui-

quidam relicti sint, eos adolescentis certe imperitia tollere non poterit. Praeterea de Aeschyli Choephoris, et Sophoclis Euripidisque Electris tam saepe disputatum est, ut vel nomen *Electrae* fere taedium faciat. Trium denique tragicorum illas fabulas nuper ita exposuisse videtur Schlegelius (1), ut easdem post tantum virum illustrare, vel inutilis sit laboris, vel ambitiosae temeritatis. Atque his angustiis me facile expedirem, si novi cuiusdam Codicis MS. collatione, tanquam splendido titulo, inutilem operam et nugas meas insignirem et commendarem. Codicum enim variis lectionibus hac nostra aetate homines in primis delectantur. Hoc vero mihi praesidium uti ex Bibliotheca nostra facile comparare potuissem, ita illam provinciam occupare veritus sum, in qua maiorem doctrinae praestantiam et severiorem delectum requiri intelligebam. Nullo igitur eiusmodi ornatu instructus prodit libellus, cuius scribendi consilium ut inirem, fecerunt HERMANNI verba, in *Praef. ad Soph. Elect.*, quibus pro tessera usus sum. Accessit his Cl. BAKII praeceptoris auctoritas, cuius eruditionem, doctrinae elegantiam, singulares ingenii dotes uti omnes suspiciunt, institutionem vero et benevolentiam erga me atque humanitatem ego gratus semper recordabor, ita eiusdem monitis obtemperare non dubitavi. Suasit denique studiorum meorum ratio, quae ita comparata fuerunt,

(1) *Dram. Kunst. und Litterat.* Edit. 2. tom. I. p. 222—245.

runt, ut in tragicorum poëtarum scriptis, id est verae elegantiae exemplis, et pulchrioribus veteris poësis monumentis, sedulo cognoscendis operam in primis ponerem.

Iam vero quod ad illos attinet, qui de tragoediis istis disseruerunt, hi aut non satis accurate disputaverunt, aut omnia ad Sophoclem retulerunt, de Aeschylo et Euripide ἐν παρόδῳ tantum dicentes: quales sunt BRUMOY, *Theat. d. Grecs. I. p.* 123. *sqq.* DUMOLARD. *Dissert. sur l'Electre.* SCHEFFLAER. in *Argum. Elect. Soph.* alii. Nam quid de SCHLEGELIO dicam? Cujus acumen uti admirari soleo, ita malam fidem arguere non dubito. Neque enim in rebus tantum diiudicandis Euripidi semper iniquum se praestat, sed ipsis adeo verbis quibus utitur, infensum in hunc poëtam animum continuo prodit. Quantam vero in iisdem rebus referendis diversa explicandi ratio vim habeat, neminem latet: atqui in trium fabularum descriptione ita versatus est Schlegelius, ut in Aeschyli et Sophoclis tragoediarum recensione grandi quodam et nobili atque poëtico fere dicendi genere uteretur; Euripideam vero Electram pedestri et vulgari, atque ad ridiculum comparato sermone, non exponeret, sed exagitaret.

Ac nescio quomodo in consuetudinem venerit, ut multi hodie, per omne fas ac nefas, Euripidem sibi reprehendendum esse arbitrari videantur. Quo maioribus enim laudibus antea elatus fuit et praedicatus, eo magis nunc neglectus iacet et fere con-

temtus. Huic igitur mori paruit etiam Celeb. HERMANNUS, cuius viri vix dici potest quanta sit in his ipsis literis auctoritas. Nam hic postquam unam Aeschyli aut Sophoclis fabulam omnium Euripidis fabularum iactura redimendam esse iniquius pronunciavit (1), Euripidis laudibus adeo detrahere coeperunt nonnulli, ut fere mireris tam mali poëtae, non tantum scripta, sed nomen etiam et famam ad nostra tempora pervenisse. Ceterum cum Schlegelius, tum alii, non novam quandam litem Euripidi intendunt; sed ea plerumque reprehendunt, quae iam Aristophanes risit, aut Aristoteles animadvertit. De quibus singulis disputare, uti longum est, ita quaedam tamen de Euripide dicenda sunt, quo melius contentioni inter tragicos poëtas recte instituendae via aperiatur atque muniatur.

Hermanno et Schlegelio Euripidem non hoc sensu ab Aristotele (2) vocari τὸν τραγικώτατον, ut ceteris tragicis antecellere dicatur, facile concedo. Isto enim loco reprehensio potius quam laus continetur. At decantatum illud τὸ μὴ εὖ οἰκονομεῖν, grave quidem est, sed non unice considerandum. Aliae enim sunt poëticae laudes non temere negligendae, quae quidem in Euripide tantae sunt, ut hoc nomine Sophoclem et Aeschylum nisi superare interdum, at certe aequare dici possit. Exinde ac-

(1) Ad *Eurip. Hecub.* 760. Lips. 1800.
(2) *De Arte Poet.* c. XIII.

accidere solet, ut, qui universam tantum rerum compositionem spectant, uti fecit Schlegelius, inique de Euripide iudicent; qui vero ipsum Euripidem legunt, eius suavitate, prudentia, elegantia, cunctis ingenii dotibus, ita teneantur, ut eum nulli postponendum esse statuant. Legendus enim est Euripides, neque ad Aeschyleam illam simplicitatem exigendus, quam quidem nos laudare, sed non ambitiose nimis praedicare oportet, quippe quae laus saepe in ineptissimo etiam carmine et in pessima tragoedia insit; contra Euripidis fabulae, minus apte compositae, iure meritoque immortalem nominis famam consecutae sunt. Nam de eius philosophandi studio, in quod acerbius invehi solent, fusius explicare non attinet. Hunc enim philosophiae usum qui aegre ferunt, nec hominum nec temporum rationem habere videntur. Neque gravius est, quod dicunt, Euripidem veteres de Deorum natura opiniones evertere voluisse: mythologicas quippe illas traditiones non tantum scenae aptissimas fuisse, sed etiam ita comparatas, ut magni quodam sensu et admiratione hominum animos percellerent. Sed eo nomine laudandus est potius poëta: nihil enim est ineptius quam inepta admirari, nihil turpius quam suspicere turpia: quid dicam de Diis istis iracundiae, libidini, partium studio deditis, omni turpitudinis et dedecoris genere insignibus, ad naturae humanae imbecillitatem effictis? Vixit iis quidem temporibus Euripides, quibus Apollinis oraculo vir omnium sapientissimus iudicatus morte

 mulc-

mulctatus est, quibusque adeo ipse poëta primo Menalippes suae versui

Ζεύς, ὅστις ἐστὶν, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ κλύων·

alium substituere coactus est; sed quibus tamen ipsis melior pars hominum veri investigandi et cognoscendi, id est philosophiae, studio tenebantur: exculta enim magis ingenia, atque ad recti et pulchri sensum informata, veteres istas superstitiones, et ineptas de Diis narrationes ferre amplius non poterant; sed simpliciores et veriores quaerebant opiniones, in quibus, istis depositis, acquiescerent. Quod igitur postea dixit Plato (1), Mythologicas istas traditiones eiusmodi esse, ut Deorum exemplo homines ad similia flagitia excitent, hoc iam Euripides profiteri ausus est: *Ion. v.* 452.

οὐκέτ' ἀνθρώπους κακῶς
λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν κακὰ
μιμούμεθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

At vero, quod deinde monuit philosophus (2), haec inepte de Diis narrari, quippe *ἀγαθὸν τὸν θεὸν τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω*, idem in *Bellerophonte* dicere poëta non dubitavit,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Deo-

(1) *De Rep. II. p.* 378. *B.*
(2) *Ibid. p.* 379. *B.*

Deorum enim perfectam esse naturam, et ab humani generis vitiis immunem sibi persuasum habebat: *Iph. Taur.* v. 381.

οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

Nec minus vere et libere pronuntiavit *Herc. Fur.* v. 1316.

δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔστ᾽ ὄντως θεὸς,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Atqui, ne longus sim, plura eiusmodi, quorum nonnulla in Euripidis Anaxagoreis collegit Valckenaerius, singulis fere versibus leguntur: quae quidem egregiae sententiae si Schlegelio aliisque tragoediae minus aptae esse videntur, haec non erit reprehensio, sed potius laus. Ita enim nihil aliud dicetur nisi eas nimis esse pulchras, nimis veras, quam ut tragoediam deceant: quod quam inepte dicatur nemo non videt. Minoris etiam est momenti, quod dicere solent, Euripidem mores evertere voluisse. Pertinet huc celebratissimus versus *Hippolyt.* v. 607.

ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Quem versum postquam Aristophanes risit, *Ran.* v. 101. *et* 1519. nescio quomodo acciderit ut omnes continuo sibi ridendum esse duxerint. Quasi vero hoc ipso probaretur versum illum ridiculum esse aut perversam continere sententiam! At Aristophanes notissimi loci Euripidei παρῳδία auditorum

rum movere risum potuit; nos aequius de Euripide iudicare oportet, reputantes facilem esse pulcherrimi etiam versus παρῳδίαν. Quare hoc primum animadverto, plerosque mala fide in illum versum invehi. Eiusmodi enim sententiae non in Euripide tantum, sed in aliis etiam inveniuntur. Schlegelium igitur aliosque rogo, quid faciant huic Aeschyli, apud *Stob. Serm. Eth.* IX.

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Nam illud δικαίας licet premas, periculosa manet sententia, quum quisque dolum suum iustum esse sibi facile persuadere possit: praeterea si dolis adversus hostes et inimicos propitius est Deus, ipsis adeo inimicitiis inter homines favere dicitur. Atque similia loca non in veterum tantum, sed etiam in recentiorum poëtarum scriptis saepius deprehendas. Quae singula colligere et cum Euripideo versu conferre, longum est et inutile. At, quum acerrimus Euripidis exagitator Schlegelius poëtam Anglum prae ceteris efferre soleat, mihi temperare non possum quin adponam Shakspearianum, *Sonnet. CXXI.*

'Tis better to be vile, than vile esteem'd.

Quam sententiam, unam e multis, quomodo prae Euripidea laudare possit, ipse Schlegelius viderit. Quum vero Euripidis locus ad iurisiurandi religionem pertineat, similem adferam locum Sophoclis, et quidem ex ipsa hac fabula Electra. Orestes enim

enim in patriam redux ut matris Aegisthique caedem dolo adgrediatur, paedagogum iubet tanquam virum Phocensem aedes ingredi regias, ibique nuntiare Orestem occidisse, atque huic fraudi fidem facere *iureiurando*, id est, procul dubio, *periurio*, v. 47.

ἄγγελλε δ' ὅρκῳ προστιθείς. —

Atque sic iurisiurandi religionem violari Orestes non curat, modo ita commodis suis consulatur: quippe, v. 61.

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Quam inique igitur, et vero turpiter agant, qui eiusmodi loca consulto praetermittunt, atque eadem in solo Euripide reprehendunt aut irrident, non opus est ut pluribus moneam: eoque magis quod locus ille Sophoclis nullo modo excusari potest, Euripidis vero versus nulla excusatione indiget. Nam hoc quoque neque Valckenaerio neque cuiquam facile concesserim, sententiam illam Euripidis Hippolytum isto loco dedecere. Quid enim? Nutrici Hippolytus interposito iureiurando promiserat, quidquid illa de Phaedra fidei suae committeret, se silentio celaturum. Audito vero scelesto Phaedrae amore, ita conturbatur, ut animi motum continere nequeat: v. 596. sqq. neque nutricis precibus aut monitis obtemperare potest; sed honestatis, pietatis, pudoris sensu, odio et iusta indignatione, intempestiva in primis iurisiurandi mentione, quo imprudens et incautus se obstrinxit, gra-

 vi-

viter commotus, horrore perfusus, sui non compos, exclamat, v. 607.

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Quid igitur? Nam ita sentit Hippolytus? Num iurisiurandi religionem contemnit? Minime vero. Mox enim sedata magis mente, quamquam nutricis fraude iureiurando se obstrinxit, non vitae consulere, sed fidem servare constituit. v. 651.

εὖ δ' ἴσθι, τοὐμόν σ' εὐσεβὲς σώζει, γύναι. κ. τ. λ.

Neque aliter deinde sentit, nec Theseo rem aperire, sed generosam potius mortem oppetere decernit. v. 1057.

ὦ θεοί, τί δῆτα τοὐμὸν οὐ λύσω στόμα,
ὅστις γ' ὑφ' ὑμῶν, οὓς σέβω, διόλλυμαι; —
οὐ δῆτα.

Atque ab hac ipsa iurisiurandi religione, quam sancte colit Hippolytus, tota tragoedia pendet. Euripideus igitur Hippolytus iurisiurandi fidem non contemnit, sed eius semel tantum, omni animi affectuum impetu devictus, obliviscitur: Sophocleus vero Orestes, non conturbatus, sed sui compos, callide et considerate periurium suadet et iubet.

Haec igitur calumnia uti ex Aristophanis ioco profecta est, ita Aristotelis etiam locus quidam aliam protulit reprehensionem. Postquam enim philosophus dixerat *de A. P. c. XV.* ἔστι δὲ παρά-

δειγ-

δειγμα πονηρίας μὲν ἤθους μὴ ἀναγκαῖον, οἷον ὁ Μενέλαος ὁ ἐν τῷ Ὀρέστῃ, plerique hanc etiam Euripidis exagitandi occasionem arripuerunt. Iam vero Schlegelium aliosque, qui neque Aristotelis locum, neque Euripidis Menelaum intellexerunt, mitto: neque etiam cum Marklando, *ad Eurip. Iphig. Aul. v.* 304. Menelaum, ut Lacedaemonium, improbum ab Euripide fictum esse dixerim. Sed nolim Euripidem ab Hermanno quoque reprehendi, qui et Aristotelis locum bene interpretatur, et recte animadvertit Menelaum in Oreste incertum esse animi, et neque amicum, neque inimicum Oresti se praebere. Menelai enim mores non, tanquam perversi, improbari debent, sed quod incertus, dubius, et anxius, non vel hoc, vel illud certo consilio vult aut persequitur.

Atqui huius etiam personae mores Euripides, ut solet, ad veritatem effingere voluisse mihi videtur. Menelaus enim post multos annos cum parva comitum manu in patriam redux, civibus odiosus et invisus, Orestem miseratur quidem, eique favet, ut fratris filio; v. 473. sqq. sed periculum imminens ab eo fortitudine sua propulsare nequit. v. 671. sqq. Orestem igitur deinde v. 1051. deserit, quippe dubius, timidus, sibique metuens. Atque haec est propria Menelai indoles, quam non Euripides tantum in hac fabula, in Troadibus, et in Andromache, sed Sophocles etiam in Aiace ei tribuit. Superbus enim est et tumidus, sed socors idem et ignavus. Atqui si Homericos heroës animadvertas,

 quo-

quorum mores tam vere expressi sunt, quid tandem de Menelao dices? Iracundus est et impiger Achilles, superbus Agamemnon, prudens Nestor, callidus et versutus Ulysses, fortis Diomedes, ferox et altus Aiax, generosus Antilochus; quid vero Menelaus? Quo nomine dignaberis illum, qui totius Graecae iuventutis florem perditae mulieris amori postposuit, quique eam post decem annos, (certe neque intactam, nec pulchriorem factam) recipere, et domum suam reducere non dubitavit? Mihi quidem, et antea Homerica legenti, visus est, et nunc quoque videtur turpis, ineptus, et ridiculus. Quare rectissime exclamat Orestes.

ὦ πλὴν γυναικὸς, οὕνεκα στρατηλατεῖν,
τἆλλ' οὐδὲν.

Ineptus fuisset ipse Euripides, si Hectoris generosam fortitudinem, Achillis animi altitudinem, Aiacis constantiam Menelao tribuisset. Quod si quaeritur quomodo his ipsis Menelai moribus in hac tragoedia usus sit Euripides, eosque adhibuerit ut fabulae proposito inservirent, unusquisque facile videbit poëtam hinc occasionem cepisse, ad insignem Pyladis amicitiam explicandam, quae, si fere fabulae initium et Chororum elegantiam excipias, est unica huius tragoediae laus.

Haec igitur sunt, et alia quaedam eiusdemmodi, neque nova ista neque magni momenti, quae hodie nonnulli tanta contentione reprehendere solent, ut summi poëtae virtutes fere negligant, in quibus aesti-

timandis hoc etiam debet observari, artes quascunque, quae quidem prae ceteris studiose excolantur, non easdem manere, sed continuo mutari, et diversa pro diversis temporibus uti conditione: eamque varietatem non tantum diverso artificum ingenio tribuendam esse, sed in primis etiam mutatis consiliis, studiis, moribus eorum, quorum iudicio harum artium monumenta subiici debuerunt. Itaque artium apud populos singulos ortus, progressus, interitus, cum interna populorum illorum historia arctissimo vinculo coniuncti sunt. Quare, in sententia etiam de Euripide ferenda, sive philosophiae in scena usum, sive providentiae in tragoediis vim, aut fati necessitatem, sive moralem, quam vocant, pulchritudinem, sive in dialogis disputandi subtilitatem, sive prologos, sive Chororum rationem, sive exitus ἀπὸ μηχανῆς respicias, hoc certe negligendum non erit, fieri posse, ut Euripides in quibusdam non proprio ingenio indulserit, sed Atheniensium studiis obtemperare necesse habuerit. Monuit iam hoc Aristoteles. *A. P. c. XV.* ἀκολουθοῦσι γὰρ οἱ ποιηταὶ κατ' εὐχὴν ποιοῦντες τοῖς θεαταῖς. Et profecto idem Euripides, qui nonnullis hodie adeo displicet, apud Graecos tanta laude floruit, ut teste Quinctiliano *Instit. X*, 1. de Sophocle et Euripide, in dispari dicendi genere, uter poëta esset melior, inter plurimos quaesitum fuerit. Quid, quod ipsa historia testatur quantam vim ad animos Graecorum commovendos aut retinendos Euripidis habuerit poësis. Victi enim apud Syracusas Athenien-

ses, multi vitam, victum alii, alii libertatem debuerunt Euripidis carminibus, quae memoriter recitabant, et canebant (1). Quae quum ita sint, hoc etiam animadvertendum est, nos de Euripide non nisi inique iudicare *posse*: huiusque rei rationem non *unice* in diversis plane moribus, studiis, ingeniis, quaerendam esse. Graeci enim graeca Euripidis carmina *audiebant;* nos ea tantum *legimus*, et quidem tot saeculorum iniuriâ conturbata et corrupta. Exinde accidere solet ut in externa forma haereamus, et rerum compositionem severius persequamur, cui quidem Euripides parum tribuit, poëticas eius laudes negligamus, quarum Graeci soli iusti fuerunt aestimatores. Perierunt modi musici, periit versuum vel recitandorum, vel ad tibiam pronuntiandorum, vel canendorum artificiosa ratio (2), periit facilis ille linguae intellectus, qui ad sentiendas eximias carminum dotes requiritur. Neque enim an pulchre an ornate an exquisite quid dictum sit, quisquam iudicare potest, nisi alia etiam dicendi genera bene teneat, nisi sciat quaenam verba, quaenam loquendi ratio, quaenam dicendi formulae propriae sint infimae plebis, quaenam honestiores deceant, quaenam primores, quaenam imperium tenentem, quaenam senem, iuvenem, oratorem, poëtam. At nos grammatice inter-

(1) Vid. PLUT. *Vita Nic. fin. p.* 542. *C.*

(2) De hac re quaedam collegit, et disputavit Hermann. *ad Aristot. A. P. c. XII.* 7.

terpretari Euripidem vix possumus, eius singularem elegantiam sentire, iudicare, admirari non possumus. Nam, ut hoc unum de eius dictione adferam, novimus quidem Euripidem voces poëtis solis usitatas rarissime adhibuisse, sed earum, quae communi sermone ab Atheniensibus frequentari solebant, meliores et exquisitiores et εὐφωνότατας selegisse (1), eaque ratione novum quoddam atque proprium dicendi genus protulisse, eximia elegantia, ornatu, dulcedine, simplicitate insigne; at hoc quoque, ut ita dicam, non nisi grammatice novimus, et poëtam legentes vix, et ne vix quidem, animadvertimus: quod unusquisque Atheniensium procul dubio sensit, et dignis laudibus extulit. Hoc denique praetermittendum non est, Euripidem singulari rei metricae cura et varietate prae ceteris tragoedias suas exornasse. Ut enim e multis hoc unum ad partes vocem, quantos plausus excitasse credemus Andromachen novo in tragoedia et inusitato metri genere, eodemque aptissimo, miserias lugentem? v. 103. sqq.

Ἰλίῳ αἰπεινᾷ Πάρις οὐ γάμον, ἀλλά τιν' ἄταν
ἠγάγετ' εὐναίαν εἰς θαλάμους Ἑλέναν. κ. τ. λ.

Sed haec de Euripide sufficiant: alia quaedam dicendi in ipsa Disputatione dabitur locus. Ultimo hic loco WYTTENBACHII verba subiiciam, quibus mihi verissima sententia contineri videtur. » Sit igitur So-

(1) Cf. Valckenaer *Diatr. IX. de Rheso dram. p.* 96.

Sophocles diligentior cum in describendo ad verisimilitudinem fabulae argumento, tum in accommodandis moribus ad personarum varietatem: habet quoque suas Euripides laudes, easque plane egregias. Habet genus orationis propius accedens ad vitae consuetudinem et hominum captum: habet sententiarum veritatem gravitatemque ex sapientiae studio et civili prudentia: habet suavitatem, dulcedinem, elegantiam prorsus mirificam: habet eloquentiae vim incredibilem, ut quamcumque personis tribuat orationem, ea probanda videatur: habet denique facultatem ad animi affectus, praesertim terroris et commiserationis, admirabilem."

De ipsis fabulis nostris, deque comparationis inter tragicos poëtas instituendae ratione, pauca habeo quae moneam. Tragoediae Graecae historiam, ad Sophoclis usque tempora, post alios, diligenter persecutus est, G. SCHNEIDERUS (1). Sed miror viros doctos universe de singulis tragicorum inventis ita disputare, quasi in iis substiterint, nec satis adtendere, unumquemque sequentis etiam poëtae inventis usum esse: quod de Thespide suspicatus quidem est Schneiderus, sed tangit tantum, nec satis accurate explicat. Quod enim recte animadvertit Vir Eruditiss., parum veri simile esse Thespin rudia illa initia neque excoluisse, neque emendasse, hoc latius etiam patet. Primam igitur personam Choro adiecisse fertur Thespis, propterea tragoediae

(1) In Libro *de Orignib. trag. Graecae.* Vratisl. 1817.

dine inventor habitus. Nihilne igitur a discipulo Phrynicho Thespis accepit? At ridiculum est statuere Thespin seria argumenta a Phrynicho inventa, atque personam muliebrem et versus trochaicos tetrametros, ab eodem primum adhibitos, neglexisse, aut iis uti noluisse. Igitur iam Thespis, a discipulo admonitus, chorum Satyrorum habitu exuit, aliasque personas substituit, seriis argumentis usus est, caetera. Quid vero Phrynichus? Recte quidem monet Schneiderus, *p.* 68. unum istum Thespidis et Phrynichi actorem plures personas agere potuisse; sed ita quoque res eodem fere redit. Parum enim interest utrum idem actor nunc viri nunc feminae habitu, an vero feminae tantum i. e. eiusdem personae habitu, Mileti excidium narraverit. At Phrynichi aequalis fuit Aeschylus, natu quidem minor, sed qui iisdem tamen temporibus floruit, quique secundum actorem addidit, et ornatum histrionum, atque, imminutis chori carminibus, iamborum usum frequentavit. Cognovit igitur Aeschyli inventa Phrynichus. Hoc si bene animadvertitur, quod Schneiderus aliique neglexerunt, dirimi poterit, nisi fallor, controversia illa de Mileti Excidio, aliisque Phrynichi fabulis: neque improbabilis fortasse videbitur conjectura, tragoediam illam Μιλήτου ἅλωσιν eiusdem fere fuisse generis, formae, cet. cuius Aeschyli *Persas.* Et plura quidem sunt quae hoc suadeant. Argumentum simile admodum Mileti Excidii: Persarum fabulae simplicitas, quae narratione plerumque absolvitur:

 Cho-

Chorus prologum agens: duo tantum actores: denique quod novimus Aeschylum in Persis aliam Phrynichi fabulam, Phoenissas, imitatum esse. Sed haec quum diligentius investigare instituti mei ratio non sinat, Phrynichum quidem, et τὴν Μιλήτου ἅλωσιν, et Persas aliis relinquo, ut aliquando ad principes tragicos accedam. Hoc enim certe patet, Aeschylum non propriis tantum, sed Sophoclis etiam inventis usum esse. Nam quae Sophocli tribuuntur, σκηνογραφία, et tertius actor, ea Aeschylo et nota et adhibita fuerunt. Testantur hoc, quod ad scenae ornatum attinet, et machinarum etiam in scena usum, tragoediae Agamemnon, Eumenides, Prometheus: atque tertio eum actore usum esse, insigni probat exemplo ipsa haec fabula Choëphori. Nam v. 657 sqq. non tres tantum, sed certe quatuor personae praeter Chorum, in scena una adfuerunt, Clytaemnestra, Electra, Orestes et Pylades, quibus adnumerari posse videtur quinta Famulus, οἰκέτης. cf. v. 646. Famuli enim personam agere non potuit Pyladis personae actor: quippe v. 642, Pylades cum Oreste processit, cf. v. 554; neque etiam qui Clytaemnestram agebat, quippe quae advenit dum tres illi, Orestes, Pylades, et Famulus, iam in scena aderant, v. 657; neque denique Electrae actor, quippe quae persona omni huic scenae adfuisse videtur. cf. v. 680 sqq. Quinque igitur diversis histrionibus hoc loco, v. 642 — 708, usus est Aeschylus, Orestis, Pyladis, Famuli, Clytaemnestrae, et Electrae personas agentibus. Cuius rei

haec

haec videtur fuisse ratio, ut, postquam Sophocles tertiam personam invenisset, in eo non substiterint tragici veteres, sed plures etiam histriones deinde adhibuerint.

Atque haec quidem propterea monui, ne cui in mentem veniat Aeschylum Sophoclis caruisse inventis, itaque non iisdem instructum praesidiis, excusationis aliquid habere, neque tam severo iudicio subiiciendum esse, ac Sophoclem aut Euripidem. Hoc enim uti de prioribus eius fabulis, Phrynichi aetate compositis, recte observari potest, ita verum non est de eius Orestia, senis (1) et fortasse pulcherrimo huius poëtae opere. Quin potius negligendum non est Aeschylum, ante alios Orestis facinus canentem, argumento usum esse novo, neque ab aliis iam decantato. Optima vero fuit Sophoclis conditio, qui, si quid minus apte ab Aeschylo inventum aut ordinatum videret, illud facile aut vitare aut emendare potuit, idque in argumento iam quidem cognito, sed nondum trito: quod de Euripide dici nequit, qui post tantos poëtas idem factum carmine celebrans, infelicissima conditione usus est. Praeterea in comparatione instituenda, hoc etiam animadvertendum est, Aeschyli Orestiam, et Sophoclis Electram, inter pulchriora eorum opera referendas esse, itaque victoriae praemio ornatas fuisse; Euripidis vero Electram, nisi fabulam eius omnium pessimam, at certe unam es-

(1) De hac re monebo infra cap. II. pr.

esse ex minoris pretii tragoediis. Haec igitur erit huius comparationis ratio, ut quibusdam de diverso tragicorum ingenio animadvertendis locus detur, non vero ut de eorum meritis sententia feratur: neque Euripidis Electrae vitia notantes, obliviscemur eundem Medeae esse et Hippolyti auctorem. Hoc denique monendum est, hanc ipsam Electram, quam nidulum corruptelarum vocat Piersonus (1), temporum iniuria ita conturbatam esse, ut, post Seidleri etiam aliorumque diligentiam, pulchriorum fortasse quorumdam locorum vis aut elegantia nos lateat.

De ipso harum fabularum argumento hoc unum ultimo loco dicendum habeo, poëtas in eo convenire, ut Orestes matrem suam propria manu, neque inscius, sed consulto interficiat. A vulgari enim traditione recedere, atque alium quemdam Orestem, quam fama ferebat, ipsi effingere ausi non sunt, cuiusmodi est Voltarii inventum. Pertinent huc Aristotelis verba, *A. P. c. XIV*: *τοὺς μὲν οὖν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστι, λέγω δὲ οἷον τὴν Κλυταιμνήστραν ἀποθανοῦσαν ὑπὸ τοῦ Ὀρέστου. κ. τ. λ.*

Ceterum Disputationis meae ratio simplex est, neque ulla fere explicatione indiget. Quae enim dicere constitui *De historico harum fabularum argumento*, *De universa earum compositione*, *De personarum moribus*, *De aliis quibusdam earum tragoediarum partibus*, *deque locis pulchrioribus*, ea

(1) *Veris. p.* 237.

ea quatuor Capitibus absolventur, in Paragraphos etiam dispertitis, si quaedam, suo quaeque loco exponenda, minorem divisionem postulare videbuntur. Editiones denique, quibus in locis citandis usus sum, indicandae sunt. AESCHYLI *Trag.* recens. A. Wellauer. Lips. 1823 — 24. SOPHOCLIS *Trag.* edid. C. G. A. Erfurdt. Lips. 1802. sqq. *Editio major.* EURIPIDIS *Trag.* recens. A. Matthiae. Lips. 1813 sqq. ARISTOPHANIS *Com.* Editio Burmanni Sec. ARISTOTELIS *de Arte P.* Editio Hermanni. De reliquis in ipsa Disputatione monebo.

CAPUT I.

DE TRIUM FABULARUM ARGUMENTO.

Choëphororum et Electrae utriusque argumentum expositaro, primo loco mihi inquirendum est, quaenam illarum fabularum auctoribus, de hac Agamemnonis caedis ab Aegistho et Clytaemnestra repetita poena, vel historia vel populares traditiones suppeditaverint. Haec enim semper poëtis, in primis tragicis, venia concessa fuit, ut fidem historicam haud ita religiose sequerentur, sed accepta ita traderent, ut vel quae minus commoda essent, praetermitterent vel immutarent, vel vera propriis etiam commentis ornarent et inflecterent. Quare de his ipsis eorum inventis, quoque modo historicis usi sint argumentis, ita demum recte iudicium ferri poterit, si fontes ipsi explorantur, e quibus illi hauserunt. Quod sane facile foret si Grammaticorum illorum scripta haberemus, qui τὰ τραγῳδούμενα, fabulas a tragicis mutatas, literis consignaverunt, ut Asclepiadis. Ii vero, quos habemus, Grammatici, in veteribus historiis fabulisque tradendis, tam negligenter versati sunt, et omnia adeo confuderunt, ut

ut difficillimum sit statuere quaenam ab ipsis fortasse tragicis, quaenam aliunde acceperint: ita ut ars critica hac in re multum deliberando et coniectando vix, quod simile veri sit, reperiat. Atqui tragoediarum illarum argumentum ad ea Graecae historiae tempora pertinet, quibus multas tenebras obduxit tot poëtarum aliorumque scriptorum iactura: unde intelligitur quantas cautiones habeat illud, superstitum scriptorum usurpare auctoritatem, de quibus ipsis saepe incertum sit, sua unde hauserint. Praeter ista enim quae in Homericis carminibus, praesertim in Odysseae Rhapsodiis, de Agamemnonis ultione inveniuntur, pauca supersunt quae satis firma auctoritate se tueri possint. Iam vero hoc non quaerimus, ut rerum narrationes colligamus, quae indubitata certaque historica fide nitantur: quippe quas nulla cuiusquam populi prisca historia praebet, eoque minus quo magis historiae munere tum fungebatur poësis: adeo ut in Cyclicis Cypriisque carminibus sine dubio iam multa fuerint quae a veritate deflexerant. Verum, deficientibus hîc veris certisque historiae monumentis, proposito nostro sufficeret, modo rerum istas narrationes et veteres traditiones haberemus *genuinas*, id est, quales Graeci ipsi et Tragici quoque poëtae eas acceperant, neque insequentibus etiam temporibus, moribus, poëtarum inventis immutatas. Atque istae quidem priscae traditiones, etiamsi fuerint, iam Hecataeo teste (1), Ἑλλήνων λόγοι πολ-

(1) Ap. *Demetr. Phaler.* §. 12.

πολλὰ καὶ γελοῖα, magnae tamen forent utilitatis cum ad antiquitatem illustrandam, tum ad recte de Tragicis iudicandum; sed isti quoque fontes, unde repeti illae debuerunt, interiere. Ut enim *Cyclum Mythicum*, Deorum Genealogias *Cyclum* etiam *Troianum*, Νόστους, Leschea, Cypria, Arctini, aliaque carmina taceam, in quibus tamen multa fortasse ad argumentum nostrum pertinuerunt: *Cyclus* quoque *Epicus*, in quem, praeter Homerum et Hesiodum, ab Alexandrinis Grammaticis relati fuerunt Pisander, Panyasis, et Antimachus, non integer ad nostra tempora pervenit. Successere his, prosae orationis invalescente usu, qui mythos, fabulas, traditiones veteres paullo accuratius colligerent, literisque mandarent, Pherecydes Ath., Hecataeus Miles., alii. Sed horum quoque iacturam facilius pateremur, si eos haberemus superstites, qui verae historiae primi fuerunt auctores. Neque enim dubitari potest quin omnem hanc Orestis et Clytaemnestrae historiam plane exposuerint, qui Τρωϊκῶν libros conscripserunt; uti CEPHALO GERGETHIUS ille, συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ, quin etiam λόγου ἄξιος Dionysio Halicarn. (1) dictus: ut HELLANICUS LESBIUS, cuius in rebus Troicis fides adeo probata fuit, ut eum auctorem sequi non dubitaverit Dionysius Halicarnasseensis; quemque Orestis fata tradidisse probat locus Tzetzae *ad Lycophr. Alexand.* v. 1374: ut in primis DIONYSIUS MILESIUS, quem in

(1) L. I. 49. et 72.

in quinque prioribus qui exstant libris secutus est Diodorus Siculus, cuiusque Τρωϊκῶν βιβλία ea fortasse continuerunt quae ad omnem hanc rem illustrandam multum conferrent.

His igitur fontibus et auctoribus, quibus ipsi poëtae tragici usi sunt, plerisque deperditis, ea quae a posterioribus scriptoribus traduntur, non nisi cautissime ad partes vocari possunt. Accedit quod traditiones illae veteres aliam saepe formam induerunt, et, ut fit, magis magisque a priscis narrationibus recesserunt. Huius corruptelae prima causa ipsa exstitit poësis, cum lyrica nova ornamenta quaerens, tum tragica maxime, cuius immutandi et ornandi licentia latius est evagata. Ipsi historici (1) nonnunquam antiquas refinxerunt fabulas, ut iis probabilitatis laudem conciliarent. Philosophi etiam, sophistae, et rhetores, sive veri studio ducti, veteres mythos et historias reiecerunt aut impugnarunt, sive ea futili et inutili labore quaerentes quae rebus non inessent, ad philosophiae rationem exegerunt, quae antiquitati fabulosisque temporibus intacta relinquenda erant: eaque explicare conati sunt, quae nulla eiusmodi illustratione indigebant: tum etiam res antiquas ex latentibus sententiis (*allegorias* mox appellarunt) interpretari aggressi sunt, easque pro diversis placitis et sententiis in diversas partes distraxerunt, in quo genere, aliorum exemplum temere secuti, maxime ex-

(1) Cf. Heyne. *Comment. de Apollodori Bibl. p. XXXVI. sqq.*

excelluerent Stoici. Philosophorum praeterea et oratorum scripta eo minoris in his sunt auctoritatis, quo magis ea heroïcorum temporum facta ad disputationis tantum ornatum proferre solent, nihil curantes nec qualia neque a quibusnam ista accepe- rint. Tot difficultatibus cumulum imposuit Grammaticorum turpis ἀκρισία. Hi enim quaecumque cyclici, lyrici, tragici poëtae, philosophi, historici, rhetores, mythographi, aliique tradidissent, ita turbarunt et miscuerunt, quasi omnium par esset auctoritas, omnibus eadem fides habenda.

Quod autem ad historicos attinet, plerique, in principio maxime operis sui, res Trojanas quidem attigerunt, ut Herodotus, Thucydides, Diodorus Siculus: quod Menecratem etiam Xanthium (1), et Callisthenem (2) fecisse legimus; sed ita ut nihil fere ex iis ad tragoedias illas illustrandas peti possit.

Cyclicorum vero poëtarum vestigia multa reperiuntur in scriptoribus illis, qui eos vel imitati vel secuti sunt: adeo ut hoc nomine ipsi recentiores isti poëtae, Quintus Smyrnaeus, Tryphiodorus, Colluthus, non sint negligendi, quippe qui cyclicorum carmina ante oculos habuisse videntur. Magis etiam ad partes vocari possunt mythographi, qui non tantum ipso ordine, quem in fabulis narrandis servant, se cyclicos exscribere testantur (3), sed eos etiam

(1) Cf. *Dionys. Halic. I.* 48.

(2) Vid. *Schol. Eurip. Vet.* apud *Ursin. ad Virg. II. Aen.* 255. Cf. *Cic. ad Div. V. Ep.* 12.

(3) Cf. Heyne *Exc. I. ad Aeneid. II. p.* 359.

etiam et vetustissimos historicos saepe excitant illos, qui temporis iniuria perierunt. Sed horu quoque plerique parum ad historicam fabularum illarum interpretationem conferunt. Recentiores enim isti poëtae, vel versificatores potius, nihil habent quod ad rem nostram pertineat. Lysimachi Alexandrini scripta (1), praesertim περὶ Νόστων, magni fortasse fuerunt pretii; sed neque ea habemus. Apollodori Bibliothecae, quae Cycli Epici compendium esse videtur, ea periere capita, in quibus de Tantalo et Pelope, Hippodamia et Oenomao, et tota Pelopidarum stirpe, adeoque Atreo, Thyeste, Agamemnone, eiusque progenie narravit. Cf. HEYNE *Commentat. de Apollod. Bibl. eius Edit. praemiss. p.* 2. Unice igitur nobis fere superest Hyginus (2), quem tamen satis incertae auctoritatis esse nemo non videt. In fabulis enim colligendis cyclicos quidem secutus est (3), sed tragicorum etiam aliorumque inventa priscis traditionibus nonnunquam intermiscuit, neque ab ea, quam supra notavimus, allegoriarum labe plane immunis fuit (4): adeo ut eius

(1) Laudata a *Schol. Apollon. I.* 558 et *Tzetza ad Lycophr.* 874.

(2) De Hygini scriptis, vid. *Heyne Comment. de Apollod. Bibl. p. XLIV.*

(3) Auctores suos saepe ad partes vocat Hyginus: ut v. g. *Pisandrum* 24. Astron. *Panyasin.* 6. Astr. *Cycticos versus* laudat Fab.. 177. Sic *Naxica* etiam Astr. 2. et alibi. Tum *Pherecydem*, Astron. 3. 20. 21. etc.

(4) Sic illud. v. g. quod poëtae tradunt, solem propter

Auri

eius nonnisi cum magna cautione ratio haberi possit.

Ultimo loco memorandi sunt geographi, quorum fides eo magis probata est, quo diligentius res ipsas investigarunt. Hi enim poëtarum fabulas non temere retulerunt, sed aliorum etiam auctorum scriptis usi, quid verum esset vel saltem veri simile quaesiverunt. Praeterea itinera suscipientes, non populares tantum traditiones, sed inscriptiones etiam, statuas, imagines, tabulas, aliaque historiae monumenta adhibuerunt. Principem inter eos locum tenent Strabo et Pausanias: quorum hic (2) plura habet ad poëtas nostros illustrandos, ille vero tantum quasi in transitu Aegisthi adulterium *L. I. p.* 24. *Edit. Falcon.*, et Orestis matricidium *L. VII. p.* 472, memorat. Atque haec quum ita sint, facile unicuique patet quam difficile sit certo constituere quamnam et qualem fabularum suarum materiam acceperint tragici, quidnam ipsi invenerint,

Atrei et Thyestis crimina cursum mutasse, de quo Chorus Euripideus sapienter pronuntiat

λέγεται, τὰν δὲ πί-
στιν σμικρὰν παρ' ἐμοί γ' ἔχει.

hoc igitur Hyginus narrans, explicationem etiam subiungit. *Fab.* 258. « Sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenas « primum solis eclipsim invenisse: cui invidens frater ex urbe « discessit."

(2) De Pausaniae historiarum fontibus et auctoritate accurate egit C. G. Siebelis. *Praefat. ad Pausan. p. X. sqq.*

rint, et in quantum acceptas traditiones ornarint vel immutaverint. Pauca sunt enim quae habemus, si ea compares cum copia illa, quam cyclici poëtae veteresque historici iis suppeditarunt: unde periculum est ne interdum ad poëtarum nostrorum inventa ea conferamus, quae fortasse illa aetate omnibus iam aliunde nota erant. Omnis igitur haec nostra disputatio fere coniecturis tantum nititur, ut quae ab aliis memorata non videamus, illa tragicorum tribuamus ingenio.

Quum autem Homerica carmina (cuiuscumque sint auctoris, et quaecumque eorum fata fuerint) ceteris omnibus antiquiora sint, et plurima exhibeant ad rem nostram ordine exponendam; quaecumque in iis ad fabularum istarum argumentum pertineant, diligenter conquisita memorabimus, et si quid in aliis auctoribus invenerimus memoratu dignum, illud continuo adponemus, ut ex iis omnibus quodammodo saltem colligere possimus quidnam sit harum tragoediarum historicum argumentum.

§. 1.

Historia Pelopidarum.

Cum omnis Graeciae vetus historia turbata et confusa iacet, tum nulla eius pars magis incerta et obscura est, quam ea, qua Pelopis eiusque poste-

storum fata continentur. Neque enim facile de ista familia a quodam scriptore traditum aliquid invenias, quod non ab alio, aut negatum, aut diverso plane modo narratum videas: qui dissensus non tantum in rebus, sed in ipsis adeo personis eorumque nominibus memorandis animadvertitur. Quum vero apud tragicos poëtas Clytaemnestrae caedes magno quodam vinculo coniuncta sit cum hereditaria illa calamitate Pelopidis adhaerente, quumque Aeschyli et Euripidis superstites habeamus fabulas ad insequentia etiam Orestis fata pertinentes, necesse est, si quid ad tragoedias illas (1), et nostras quoque simul illustrandas adferre velimus, ut non tantum ea persequamur quae Agamemnonis ultionem contineant, sed

(1) De Aeschyli Agamemnone, Choëphoris et Eumenidibus, infra dicemus, Cap. II. Euripidis autem tragoediae *Iphigenia in Aulide*, *Electra*, *Orestes*, *Iphigenia in Tauris*, et *Andromache*, etsi non tam arcto, ac Aeschyli fabulae, vinculo coniunctae sint, adeoque separatim agi potuerint, ita tamen sunt comparatae, ut sibi invicem multa praestent ad argumenti historiam illustrandam. Quum enim Euripides in minoribus rebus saepe sibi non constet; in iis tamen quae maioris momenti sunt et ad universam rei historiam pertinent, easdem plerumque traditiones sequitur. De utraque *Iphigenia* infra videbimus. *Helena* vero fabula (in qua poëta plane a vulgari quam sequitur traditione recedit. Cf. *Troad.* 907. *sqq.* *Orest.* 79. etc.) tanquam ἐπεισόδιον aliquod considerari debet; quod Pelopidarum historiae, quam tragoediis celebrare constituisset, inseruit Euripides, et in qua traditionem recepisse videtur, vel potius inventum Stesichori in Helenae παλινῳδίᾳ: de quo vid. *Plat. Rep. IX. p.* 586. *C.*

sed etiam res altius inde a Pelope repetamus: neque in fabularum nostrarum argumento subsistamus, sed rerum quoque narrationem ulterius exhibeamus.

De Pelope eiusque progenie pauca vel nihil fere tradit Homerus, nec quidquam apud eum invenias de illa calamitate inde a Myrtili caede in Pelopidas saeviente, caedesque caedibus vindicante. Quam saepius memoratam ἄτην non adeo consulto praetermisisse, quam potius ignorasse mihi videtur. Tantali apud inferos poena memoratur *Od. XI.* 581. *sqq.* (1) sed nulla de eius posteris mentio adiicitur. De Oenomao Hippodamia et Myrtilo plane non agitur. Pelopidarum stirps et regum successio recensetur *Iliad. II.* 105, quo loco de Agamemnonis sceptro sermo est:

αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ, ποιμένι λαῶν·
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ·
αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι,
πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.

Quae omnia tam placide dicta sunt, ut de Chrysippi nece, de aureo agno, de Aëropae adulterio, caet. cogitare nequeas (2). Confirmatur autem hoc lo-

(1) De ipso hoc loco *Od. XI. v.* 567—626, an genuinus sit, dubitatur, cf. Porson. *ad Eurip. Or. v.* 5.

(2) Multoque minus de Mercurii propter Myrtili caedem ira: nam ab ipso Mercurio dicitur Pelops *v.* 104. illud sceptrum accepisse. Neque etiam eiusmodi quid invenitur in iis quae

loco quodam *Od. XI. 445. sqq.* ubi, postquam, Agamemnon apud inferos quomodo ab uxore sua interfectus sit narravit, ei respondet Ulysses, « Iovem Atrei genus ἐξ ἀρχῆς multis malis affecisse γυναικείας διὰ βουλάς. Propter *Helenam* enim multos cecidisse: *Clytaemnestram* ipsi necem struxisse." Atqui si praecedentes Pelopidarum clades poëta novisset, eis profecto addidisset *Hippodamiam*, *Aëropam* et *Pelopiam*, quas nusquam memorat.

Quod si Homerus Pelopis fata ignorat, vel certe praetermittit, dubitari tamen nequit quin a cyclicis poëtis tradita fuerint, adeoque non tragicis tribuenda sint. Pherecydis auctoritatem usurpat Schol. Soph. *ad El. v.* 498. » Φησὶ δὲ Φερεκύδης, ὅτι Πέλοψ νικήσας τὸν ἀγῶνα, καὶ λαβὼν τὴν Ἱπποδάμειαν, ὑπέστρεψεν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον μετὰ τῶν ὑποπτέρων ἵππων καὶ τοῦ Μυρτίλου· καθ' ὁδὸν δὲ καταλαβὼν αὐτὸν προϊόντα πρὸς τὸ φιλῆσαι αὐτὴν, ἔρριψεν εἰς θάλασσαν." Atque traditionem illam veterem fuisse et vulgo receptam testantur monumenta illa ad Pelopem, Oenomaum, et Myrtilum pertinentia, quae Pausanias memorat *L. VI. c.* 20. *c.* 21. *L. VIII. c.* 14. *L. V. c.* 10. etc. Historia igitur illa huiusmodi fuit. Oenomaus Pisae regnans, filiae suae Hippodamiae nuptias ei proposuerat, quicumque se curuli certamine vinceret (1), sive equarum suarum velocita-

te

quae de Agamemnonis morte eiusque ultione Homerus fusius narrat.

(1) *Paus. VIII.* 14. *Hyg. fab.* 84. *Schol. Eurip. Or.* 981.

te (1), sive aurigae Myrtili arte (2) fretus. Victos autem hasta adsecutus occidebat (3). Multis iam interfectis (4), Pelops tandem Hippodamiam victoriae praemium obtinuit, sive Neptuni auxilio, acceptis ab eo velocissimis equis (5), sive, quod veri similius videtur, Myrtili dominum prodentis ope (6). Hic enim, vel clavis in Oenomai currus rotas non immissis (7), vel quod eius equis dolo quodam terrorem incuteret (8), Pelopi victoriam tribuit. Quod fecisse Myrtilus videtur Hippodamiae ipse captus amore, sive hac de re aliquid pactus (9), sive quod eius amorem sibi deinde conciliare speraret (10). Pelops vero seu maritimo itinere domum revertens (11), seu in litore curru vectus (12), Myr-

(1) *Hyg. l. l.*
(2) *Paus. l. l.*
(3) *Paus. l. l. Diod. Sic. IV. p.* 191.
(4) 13 memorat *Pindarus, Ol. I.* 127. 16 vel 17 *Paus. VI.* 21.
(5) *Pind. Ol. I.* 140. cf. *Paus. V.* 17. ubi Pelopis alati equi memorantur, et *Schol. Homeri, Iliad. I.* 38.
(6) *Ovid. Ib.* 371.
(7) *Hyg. l. l. Schol. Eurip. l. l. Schol. Hom. Iliad. II.* 104. etc.
(8) *Paus. VI.* 20. Add. *Schol. Apollon. I.* 752. et *Phavorin. in v.* Οἰνόμαος. Ceterum Oenomai et Pelopis historiam accurate persecutus est F. G. Sturtz. in *Pherecydis Fragm. Edit. alt. p.* 97 — 101.
(9) *Paus. VIII.* 14. *Schol. Horat. Od. I.* 1.
(10) *Schol. Eurip. Or.* 981. cf. locus *Pherecydis l.* quod autem Hyginus *l. l.* dicit, Pelopem dimidium imperii ei pollicitum esse, hoc Pherecydis auctoritate infirmatur.
(11) *Pausan. l. l.*
(12) *Schol. Eurip. l. l.*

Myrtilum, ζηλοτυπήσας εἰς Ἱπποδάμειαν, in mare praecipitavit (1). Haec est apud poëtas tragicos prima in Pelopidis malorum omnium origo. Myrtilum enim illum Mercurii fuisse filium, apud Graecos fuit recepta opinio (2), qua ita usi sunt tragici, ut Pelopidarum calamitates Mercurii irae et Myrtili diris (3) tribuerent, hac in re apud Romanos imitatores nacti. Unde iam Attius apud Ciceronem *N. D. III.* 38.:

» Quinam Tantalidarum internecioni modus
» Paretur? aut quaenam umquam ob mortem Myr-
» tili
» Poenis luendis dabitur satias supplicii?"

Verum uti tragici forte Graeci illud non ipsi invenerunt, sed ab aliis acceperunt (4), ita certe hoc *non ab omnibus* traditum fuisse exinde confici potest, quod aurei agni historiam non ad Mercurii μῆνιν retulerit (5) Pherecydes. Pausanias (6) etiam, etsi Myrtili vindicem genium, a Pelopis nepotibus poe-

(1) Vid. *Hyg. fab.* 84. *Schol. Aristoph. Equit. v.* 558. *Tzetzes ad Lycoph. v.* 156.

(2) *Paus. l. l. Schol. Eur. l. l. Schol. Apollon.* ad *I.* 752. Cf. *Servius* ad *Georg. I.* 205. *Hyg. fab.* 224.

(3) Tragicos sequuntur *Schol. Eur. l. l. Lactant. ad Statii IV. Theb.* 306. aliique.

(4) In Elide v. g. fama ferebat Pelopem primum in Peloponneso fanum Mercurio exaedificasse et sacra fecisse, quo Deum sibi *ex Myrtili caede infensum* placaret. Vid. *Pausan. V. c.* 1.

(5) Cf. *Schol. Eurip. Or. v.* 988.

(6) *L. II. c.* 18.

poenam repetentem, alio exemplo Pythiaeque auctoritate confirmari confiteatur, nullam tamen se eiusmodi hereditariae et innatae Pelopidarum atrocitati fidem habere declarat. Ceterum maiorum facinora in posteris puniri, vetus fuit opinio. Cf. *Valcken. ad Eurip. Hipp. v.* 833.

Pelops igitur ex *Asia* (1) profectus, opibusque suis magnam potentiam adeptus (2), Oenomai quoque imperio potitus (3), regioni nomen indidit. Filii eius, praeter alios quosdam (4), ex Hippodamia celebrantur Atreus et Thyestes (5): atque hinc incipit illa caedium omniumque scelerum series, qua Pelopidarum genus infaustum celebritatis nomen nactum est. Primo loco memoranda est Chrysippi caedes, Pelopis filii, sed non ex Hippodamia (6). Hunc a patre prae ceteris dilectum reliqui Pelopidae eorumque mater Atreo et Thyesti natu maio-

(1) Pelopem alii Phrygem, alii Lydum fuisse dixerunt: de quo cf. Lobeck. ad *Soph. Ajac. v.* 1279. *edit. Erfurdt.* Add. *Schol. Pind. Ol. I.* 37.

(2) *Thucyd. I.* 9.

(3) *Paus. V.* 1.

(4) Eorum nomina recenset *Schol. Eurip. ad Or.* 5. In omni vero hac historia colligenda, ea tantum, missis ceteris, memorabimus, quae ad propositum nostrum pertinent.

(5) *Apollod. II. c.* 4, 6. *Paus. II.* 18. *Schol. Eur. l. l. Schol. Pindari Ol. I.* 144. *Hygin. fab.* 84. ad quem locum cf. *van Staveren.*

(6) Eius mater Axiocha vel Astyoche aliis prior Pelopis uxor, aliis pellex, aliis nympha dicta. Cff. Interpp. ad *Hyg. fab.* 85. et C. G. Siebelis ad *Paus. VI. c.* 20. §. 4.

ioribus ut interficerent persuaserunt (1). Pelops, re cognita, Atreum et Thyestem e patria expulit: Hippodamia vero aufugit, et Mideam se contulit (2). Hac de causa exsulans Atreus, Mycenas venit ad Eurystheum, ab eoque, in Atticam contra Heraclidas proficiscente, sibi traditum imperium consentientibus Mycenaeis retinuit (3). Sequitur iam illa aurei agni historia, qua non facile magis obscura et impedita alia inveniri potest, quamque Euripidis Scholiast. *Orest.* v. 800. v. 989. *etc.* narrans, non unam traditionem, sed tres aut quatuor plane diversas refert, adhibita solenni formula ἄλλως. Nec tamen dubitari potest illum veteres auctores sequi, quippe qui hac in re ipse *ad v.* 988. τὸν τὴν Ἀλκμαιωνίδα πεποιηκότα, *Dionysium Milesium* τὸν κυκλογράφον, et *Pherecydem* excitat. Sed huius rei haec est ratio, ut, quum magis ad fabulas quam ad historiam pertineat, ipsi iam vetustissimi auctores diversissima tradidisse videantur; quae singula recensere et longum est et inutile. Res huc redit. Atreo, sive cum fratre de paterno imperio contendenti, sive minus,

(1) Historiae auctor est Hellanicus, apud *Schol. Hom. Il. II*, 105. Add. *Hygin. fab.* 85. *Schol. Eur. Or. v.* 5. Nec desunt tamen qui eum ab aliis occisum perhibeant: v. g. a fratre Alcathoo, ab Hippodamia, quin ab ipso etiam Pelope. Cf. Van Staveren *ad Hyg. l. l.* et Heyne *ad Apollod. L. III. c.* 5, 5. Plane vero alia tradidit *Pisander*: sc. Chrysippum a Laïo raptum ipsum sibi prae pudore mortem conscivisse. Vid. *Schol. Eurip. Phoen. v.* 1760.

(2) *Pausan. VI. c.* 20.

(3) *Thucyd. I.* 9.

mus, in gregibus aurei velleris agnus natus esse fertur. Hunc Thyestes Aëropae Atrei uxoris, quam stupri consuetudine sibi conciliasset, ope, fratri subripuit (1). Atreus vero pietatis omnis immemor et furori indulgens, cum fratre in gratiam se redire simulavit (2), ut atrocissimam poenam ab eo repeteret: occisos Thyestis liberos in coena comedendos ei apposuit (3). Praebuit illud facinus multis tragicis poëtis scribendi materiam. Qua non tantum Sophocles et Euripides, sed etiam Agatho et Chaeremo apud Graecos usi sunt: *Thyestem* fabulam Latini quoque nonnulli ediderunt; ut Ennius, Pacuvius, Varius, Seneca, aliique (4).

Quod autem apud *Schol. Eurip. Or. v.* 800. legitur, Thyestem etiam ab Atreo interfectum esse, hoc, si quidem locus sanus est (5), verum esse non videtur. Thyestem enim Atreo successisse ab Ho-

(1) *Pausan. II. c.* 18.

(2) *Hygin. fab.* 88.

(3) *Hygin. l. l. Eurip. Schol. v.* 992. *etc.* Ceterum de Thyestis filiis, unus, duo, an plures fuerint, deque eorum nominibus, inter auctores veteres non constat. Cf. *Munck. ad Hygin. l. l.* Pausanias autem *L. II. c.* 18. de *pluribus* loquitur.

(4) Cf. Columna ad *Ennii Thyest. p.* 273.

(5) Ibi sic legitur: 'Ατρεὺς — *τοὺς τρεῖς υἱοὺς τοῦ Θυέστου — παρέθηκεν εἰς τράπεζαν τῷ πατρὶ, καὶ αὐτὸν ὕστερον ἀπέκτεινεν.* Si δὲ *αὐτὸν* vel simile quid legas, contrarium dicetur, quod forte apud veteres teste non caruit. Ab Aegistho enim occisum esse Atreum refert *Hygin. fab.* 88. quod ab ipso Thyeste factum esse alii forte tradiderunt.

Homero aliisque traditum est (1). Sunt vero qui post Atreum et ante Thyestem Argis imperium tenuisse dicant Temenum Aristomachi filium (2): quem, quum ad propositum nostrum non pertineat, praetermittimus. Hoc sane constat Thyestem *post* Atreum regnasse, eique successisse Agamemnonem.

Atrei filios fuisse Agamemnonem et Menelaum plerique tradiderunt, quos etiam poëtae nostri secuti sunt, Aeschylus *Agam.* *v* 1565. Sophocles *Ai.* *v.* 1280. Euripides *Hel.* *v.* 391. Quod tamen non adeo certum est, nec fortasse verum. Uti enim *Pelopidae* et *Atridae* nomina facile ab huius stirpis auctore Pelope, et Atreo (sive pater is fuerit sive avus Agamemnonis) deduci possunt, ita *Plisthenidae*, quod occurrit, nomen commode explicari nequit, nisi de Plisthene quodam Agamemnonis aut patre aut avo aut proavo cogites. Quid igitur sibi vult quod in Stesichori *apud Plut.* *p.* 555. *A.* loco, de quo infra Cap. IV plura dicemus, invenitur βασιλεὺς Πλεισθενίδας? Quippe hoc loco Orestes significatur. Quid, quod ipse Aeschylus *Agam.* *v.* 1585, dicit Thyestem diras imprecatum esse Atreo eiusque progeniei, id est, τῷ Πλεισθένους γένει. Fuit igitur Plisthenes quidam inter Agamemno-

(1) Cf. *Pausan.* *L.* *IX.* *pag.* 606. *Ed.* *Sylburg.*

(2) Ut *Hyg.* *fab.* 124. Cf. *Apollod.* *II.* *fin.* ibique Heyne: et Munck. *ad* *Hygin.* *fab.* 219. Eo pertinet etiam locus *Schol.* *Eurip.* *Or.* *v.* 5. τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν κ. τ. λ.

nonis maiores: et ita etiam *Ovid. Rem. Amor. v.* 778. » *Plisthenio toro* " i. e. Agamemnonio. Atqui difficile est hic de Plisthene quodam Agamemnonis fratre aut consobrino cogitare, quem pater vel patruus Atreus, secundum *Hyg. fab.* 86, vel 88, puerum occiderit: neque enim ita illud τὸ Πλεισθένους γένος, nec *Plisthenidae* nomen explicari potest. Non videntur igitur negligenda quae de Plisthene Atrei filio, Agamemnonis vero et Menelai patre, a quibusdam traduntur. Atqui Atreum Agamemnonis et Menelai patrem non fuisse, sed avum, eorumque patrem Plisthenem, invenias apud *Schol. Hom. Iliad. II.* 249. Eadem habet *Schol. Eurip. Or. v.* 5. vulgaris in hac re erroris causam subiiciens, sc. Plisthenem praematuram mortem oppetiisse, eiusque filios ab avo Atreo educatos fuisse: unde *Atridarum* nomen contraxerint. Apollodorus (1) etiam *L. III. c.* 2. 2, Plisthenem uxorem habuisse Aëropam tradit, ex eaque filios Agamemnonem et Menelaum. Ceterum hac de re plura fortasse memorata fuerunt in Euripidis Κρήσσαις, quam fabulam ad Aëropae historiam pertinuisse (2) novimus ex *Schol. Sophocl. ad Aiac. v.* 1278.

Aga-

(1) Apollodorus Plisthenis uxorem facit *Aëropam*, quam plerique Atrei fuisse dicunt. Schol. Eurip. vero eius uxorem vocat *Eriphylen*, Atreique *Cleolam*. Sed in nominibus, et in primis foeminarum ad obscura illa tempora pertinentium, auctores veteres saepissime dissentire videmus: adeo ut hoc minoris sit momenti.

(2) Euripidis *Plisthenes*, eius, de quo agimus, historiam ut-

cre-

Agamemnon igitur post Thyestem imperium tenuit, omniumque consensu uxorem habuit Clytaemnestram Tyndari (1) filiam: cuius scelus quum tragoediis nostris materiam praebuerit, primo loco inquirendum est in causas quae illam ad maritum necandum impellere potuerint. Apud tragicos enim Clytaemnestram videmus facinus a se perpetratum defendentem. Quod Aeschylus in *Agam. v.* 1386. *sqq.* et Sophocles *in Elect.* 520. *sqq.* ita adhibuerunt, ut Clytaemnestram impunitate exsultantem magis odiosam effingerent; Euripides autem, verisimilitudinis laudem consectans, ita proposuit, ut veras quasdam in maritum odii causas Clytaemnestram habuisse significaret (2). Huc pertinet quod neque apud Aeschylum nec Sophoclem, sed apud Euripidem *Iphig. Aul. v.* 1134 *sqq.*, Agamemnoni exprobrat Clytaemnestra:

> ἔγημας ἄκουσάν με κἄλαβες βίᾳ,
> τὸν πρόσθεν ἄνδρα Τάνταλον κατακτανών,
> βρέφος τε τοὐμὸν σῷ προσουδίσας πάλῳ,
> μαστῶν βιαίως τῶν ἐμῶν ἀποσπάσας (3).

Ho-

credibile est exposuit: etsi Musgravius huius tragoediae argumentum quaerat in Hygini fabula 86. Sed Musgravii sententia non nisi coniectura nititur.

(1) Quod autem *Hyg. fab.* 240 eam *Thestii* filiam facit, hoc manifesto errore facit, quippe qui *fab.* 117 ipse eius patrem Tyndareum vocat. Sed Thestius, secundum eundem *Hygin. fab.* 77, Clytaemnestrae fuit avus, Ledae pater: quem Hygini errorem interpretes fugisse miror.

(2) De Euripidis Clytaemnestra plura dicemus Cap. III.

(3) Inepte Barnesius ad h. l. hunc Tantalum non esse veterem il-

Homerus nihil eiusmodi tradit. Quin contra Clytaemnestram Agamemnoni virginem nupsisse refert, unde eam *κουριδίην ἄλοχον* vocat, *Iliad. I. v.* 114, et Agamemnonem *κουριδίων πόσιν*, *Odyss. XXIV.* 199: de quo videndus est *Eustath. ad Od. XI. p.* 1693, qui Euripidem hac in re ab Homero dissentire notat. Neque tamen haec ab Euripide inventa esse confici potest ex duobus Pausaniae locis. Hic enim *L. II. c.* 18. §. 2, de Agamemnone et Aegistho non satis sibi constare dicit, uter prior iniuriam intulerit: fieri enim potuisse ut Aegisthus *Tantali*, Thyestis filii, fratris sui caedem tantum ulcisci voluerit: *συνοικεῖν δέ φασιν αὐτὸν* (Tantalum) *Κλυταιμνήστρᾳ παρθένῳ παρὰ Τυνδάρεω λαβόντα.* Dubitationis caussam refert, *L. II. c.* 22. §. 4, sc. Tantalum illum, *ὃς Κλυταιμνήστρᾳ πρότερον ἢ Ἀγαμέμνων συνῴκησε*, alios Thyestis, alios Brontei facere filium. Ex quibus Pausaniae locis hoc sane patet, non defuisse, qui Clytaemnestram Tantalo cuidam fuisse nuptam traderent.

Alia Clytaemnestrae in Agamemnonem odii caussa, quam non Euripides tantum, sed Aeschylus etiam et Sophocles commemorant, est Iphigeniae caedes. Quod autem Schützius *ad Aesch. Agam. argum. p.* 138, Hermann *ad Soph. Elect. v.* 154, aliique dicunt, Homerum Iphigeniam Aulide mactatam prorsus ignorare, hoc mihi quidem non ita con-

illum Pelopis patrem pluribus probare conatur. Hoc enim unicuique facile patet.

constare videtur, etiamsi contrarium affirmare non ausim. Iphigeniae nulla in Homericis carminibus fit mentio. Tres Agamemnonis memorantur filiae, *Iliad. IX. v.* 144. *et* 287, neque inter illas Iphigeniae nomen occurrit. Sed etiamsi Homerus Iphigeniae infelix fatum novisset, eam tamen locis istis memorare non potuisset, quippe iam antea mactatam. Adeoque hoc nihil probat. Notabilis est locus *Iliad. II. v.* 300 *sqq.* ubi Graecorum fit mentio apud Aulidem sacrificantium:

ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας.

Qua occasione, prodigio quodam Graecis oblato, Calchas praedixerat illos novem annos Troiam obsessuros, decimo vero capturos: atqui neque hoc loco Iphigenia mactata memoratur, neque etiam ab Hesiodo, *Op. et D. v.* 649. *sq.*, de Graecis in Aulide referente (1). Sed ne hoc quidem quidquam probat. Ex omnibus enim istis confici potest eos Iphigeniam silentio praetermittere, (cuius mentio in ll. ll. aliena fuisset) minime vero eos caedem eius ignorare. Pertinet fortasse eo locus *Iliad. I. v.* 106. *sqq*: quo Calchantem increpat Agamemnon:

Μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας!
αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι·
ἐσθλὸν δ' οὔτε τι πω εἶπας ἔπος, οὔτ' ἐτέλεσσας.

Un-

(1) Hesiodus certe Iphigeniae historiam non ignoravit, quod probatur loco *Pausaniae I.* 43, quem infra laudabimus.

Unde patet iam saepius antea infeliciter Agamemnoni vaticinatum fuisse Calchantem, cuiusmodi tamen apud Homerum me nihil legere memini; adeo ut hoc loco de Iphigenia haud inepte quis cogitandum esse existimet: eoque magis quod Sophocles, qui Homeri plerumque traditiones sequitur, easdem, quas ille, Agamemnonis filias recenseat, Chrysothemin, Electram (Laodicen), et Iphianassam *Electr.* v. 154. *sq.*, et Iphigeniam tamen Aulide mactatam referat. Verum ista urgere nolo.

Quae vero apud veteres fuit traditio quaedam, quam Stesichorus Himeraeus, Euphorion Chalcidensis, et Alexander Pleuronius carminibus celebrarunt (1), Iphigeniam non Agamemnonis et Clytaemnestrae filiam fuisse, sed Thesei ex Helena (2): hanc igitur secuti non sunt poëtae nostri; sed magis vulgarem illam amplexi sunt, quae Iphigeniam Agamemnonis et Clytaemnestrae perhibebat filiam, quippe quae fama tragoediarum suarum proposito aptior erat. De Iphigenia in Aulide duplex etiam narratio fuisse videtur. Plerique eam a Diana servatam tradunt, quum in eo esset ut a Graecis ex Calchantis vaticinio immolaretur (3). Pertinet eo lo-

(1) Cf. *Pausan.* L. *II.* c. 22. §. 7.

(2) Homerus ex Helena unam Hermionem natam agnoscit. Alii vero auctores hac de re adeo dissentiunt, ut difficile sit certi aliquid statuere de Helenae progenie. Cf. Heyne *ad Apollod.* *III.* c. 11, 1.

(3) *Hygin. fab.* 98. *Pausan.* L. *IX.* p. 570. v. 50. *ed. Sylburg.* *Schol. Eurip. Orest.* v. 647. etc. Alia refert *Ptol. Hephaestio*, *Lib.*

locus Tzetzae *ad Lycophr. v.* 183. de Iphigenia dicentis, ἡ δὲ Ἄρτεμις αὐτὴν ἐλεήσασα, κατὰ Φανόδημον τὸν ἱςορικὸν, εἰς ἄρκτον μετέβαλε, κατὰ δὲ Νίκανδρον εἰς ταῦρον, καθ' ἑτέρους εἰς γραῦν, κατ' ἄλλους εἰς ἔλαφον. In quibus veterum historicorum nugis quaedam fortasse de Iphigeniae in terram Tauricam fuga latet traditio: quod idem Tzetzes refert, ἡ δὲ Ἰφιγένεια σωθεῖσα φεύγει περὶ Σκυθίαν. Ceterum Iphigeniam non servatam, sed re vera mactatam, in fabulis nostris habent tragici Graeci; quod alii etiam tradiderunt uti Aeschyli aequalis Pindarus, *Pyth. XI. v.* 34 *sqq.* Propert. *III. El.* 5. *v.* 54. Virgil. *Aen. II. v.* 116. etc.

Incidit iam bellum Troianum, quo peracto Graeci decimo demum anno in patriam reversi sunt, eorumque dux Agamemnon Mycenas pervenit. Quae vero nobis inde exponenda sunt paucis narrat Velleius Patero. *L. I.* init. » Rex regum Agamemnon — scelere patruelis fratris Aegisthi, hereditarium exercentis in eum odium, et facinore uxoris oppressus, occiditur. Regni potitur Aegisthus per annos VII. Hunc Orestes, matremque, cum socia consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi femina, obtruncat. Factum eius a Diis comprobatum spatio vitae et felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC, regnavit

Lib. V. apud *Photium pag.* 483: scil. Agamemnonem filiam suam *Neptuno* mactare debuisse, illudque recusasse: quare Graecos ira commotos ei imperium ademisse; et Palamedem regem sibi elegisse.

» vit LXX (1): qui se etiam a Pyrrho, Achillis » filio, virtute vindicavit. Nam quod pactae eius, » Menelai atque Helenae filiae, Hermiones nuptias » occupaverat, Delphis eum interfecit."

Haec igitur est summa eorum quae nobis dicenda supersunt, quaeque ut adcuratius investigemus et uberius exponamus, alii nobis fontes adeundi sunt, inter quos carmina Homerica iam, cum auctoritate, tum vero copia, primum locum tenent.

Agamemnon ad Troiam expugnandam proficiscens, domi reliquerat virum probum, ἀοιδὸν ἄνδρα (2), cui uxoris custodiam commiserat. Huius monitis obtemperantem, necdum pudoris oblitam, Clytaemnestram blandis verbis diu frustra aggressus erat Aegisthus (3): qui tandem, hoc viro in desertam insulam deportato, ἐθέλων ἐθέλουσαν domum suam deduxit, *Odyss. III.* 262—275. Postquam igitur Clytaemnestram stupri consuetudine sibi conciliasset, Agamemnonis interficiendi consilium secum agitavit, quod cum ea communicavit, eiusque ope

(1) Secundum Eusebianum Chronicon, a Lipsio ad h. l. laudatum, post Aegisthi mortem Orestes XV tantum annos regnavit. Asclepiades vero tradidit eum in Arcadia decessisse septuaginta annos natum, cf. *Schol. Eurip. Or.* v. 1640. Ceterum ex verbis *virilis animi femina*, Velleium Pat. h. l. Sophoclem sequi suspicor.

(2) Cf. *Athenaeus L. I. p.* 14. *C.*

(3) Aegisthum ex filia sua Pelopia procreasse fertur Thyestes, *Aelian. V. H. L. XII. c.* 42. *Hyg. fab.* 87. *Schol. Eurip. Or. v.* 15. *Serv. ad Aen. XI.* 262. etc. Θυεστιάδης Αἴγισθος, *Odyss. IV.* 518.

ope reversuro regi dolum et insidias struxit. *IV.* 92. *XI.* 409. 438. Ne vero Agamemnon in aedes paternas clam regrederetur, duobus auri talentis speculatorem conduxerat Aegisthus, qui regis adventum observaret. Hic postquam totum fere annum hoc officio diligenter functus est, regem tandem adpellentem conspicit, deque eius adventu statim Aegisthum certiorem facit: qui, re audita, viginti viros strenuos in insidiis collocat, curribusque et equis Agamemnoni obvius factus, eum, nihil mali suspicantem, non in regias aedes (1), sed domum suam deducit, et lautis excipit epulis. Quo facto Aegisthi satellites ex insidiis Agamemnonis comites adorti pugnam committunt, et utrique a se invicem ad unum omnes trucidantur. *IV.* 520—538. *XI.* 387. *XXIV.* 22. Aegisthus autem et Clytaemnestra, sive quod haec Cassandram sibi pellicem adduci aegre ferebat (2), ille hereditarium exercebat odium (3), sive quod utrumque adulterii crimen ad caedem propellebat, Agamemnonem ipsi indigne interficiunt. *XI.* 409. *XXIV.* 97. 198. *sqq.* Cassandram denique Priami filiam, quam captivam Mycenas adduxerat Agamemnon, Clytaemnestra furori indulgens

(1) Agamemnonis regiae aedes quo loco fuerint inter veteres non satis constitit. Tragici nostri eas Argis, Homerus Mycenis, Stesichorus vero et Simonides Lacedaemone posuerunt. Vid. *Schol. Eurip. Orest. v.* 46.

(2) *Hygin. fab.* 117.

(3) *Pausan. II.* 18. *Vell. Paterc. I.* 1.

gens iuxta maritum morientem occidit. *XI.* 420 (1). Hoc scelus ne perpetraretur, Dii Mercurium ad Aegisthum miserant, qui eum moneret ne Agamemnonem interficeret, nec Clytaemnestram duceret: fore enim ut Orestes redux patrem ulcisceretur; sed spretis Deorum monitis Aegisthus regem dolo occidit, et Clytaemnestram duxit uxorem. *I. v.* 35. *sqq. III.* 235. quin etiam populum subegit, et Mycenarum regnum occupavit, quod septem annos tenuit. *III.* 304. *sq.* Haec sunt quae secundum Homerum fabularum nostrarum historiam antecesserunt. De Orestis vero pueritia et exsilio quamnam traditionem secutus sit Homerus, difficilius est decernere. Orestem ad Troiam expugnandam profectus Agamemnon domi reliquerat, *Iliad. IX.* 143: nec tamen deinde redux eum viderat, antequam mortem oppeteret: *Odyss. XI.* 451. *sq.* adeo ut Ulyssem apud inferos roget quo loco habitet, *v.* 458:

ἤ που ἐν Ὀρχομενῷ, ἢ ἐν Πύλῳ ἠμαθόεντι,
ἤ που πὰρ Μενελάῳ ἐνὶ Σπάρτῃ εὐρείῃ;

Ex verbis autem *καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης* *I.* 41, patet, ante paternae necis ultionem, Orestem peregre degisse. Strophius vero nusquam memoratur, neque etiam

(1) Cf. *Pindar. Pyth. XI.* 29. *sqq.* 47. *sqq.* *Pausan. II.* 16: qui Agamemnonis, Cassandrae, eorumque comitum sepulcra memorat. Add. *Athen. XIII p.* 556. *C.* De Aeschyli invento infra dicemus. *Hyginus* vero, *fab.* 117, Agamemnonem *sacrificantem* interfectum esse refert; sed vulgatior est Homeri traditio. Quod autem V. Staveren *ad Hyg. l. l.* dicit, Sophoclem hac in re cum Hygino facere, hoc verum non esse infra monebimus.

etiam Pyladis occurrit nomen, adeo ut incertum sit, an eum apud Strophium educatum fuisse cognoverit Homerus. Certe non ex Phocide sed *Athenis* ad patris ultionem suscipiendam profectus dicitur, *III.* 307. Alia tamen recepta etiam videtur fuisse traditio, secundum quam Orestes, dum pater occideretur, sive a nutrice (1), sive a sorore (2) subductus fuerat, et ad Strophium missus.

Orestes autem, postquam ad pubertatem pervenit, patriae captus desiderio, *Odyss. I.* 41, octavo post patris mortem anno Mycenas rediit, *III.* 306, necisque paternae ultione magnam famam, κλέος, adeptus est *I.* 298, *III.* 196. *sqq:* quippe qui Aegisthum matremque suam occidit (3). Quo facto utriusque iustis fungens, Argivis funebrem coenam praebuit. *III.* 307. *sqq.* *I.* 30.

Hoc ipso die ex Aegypto Menelaus reversus est, quo post Troiae excidium ventis fluctibusque deiectus fuerat, cuiusque absentia fretus Aegisthus regem turpi scelere interemerat (4). Hic si vivum deprehendisset Aegisthum, nemo eum sepulturae hono-

(1) *Pindar. Pyth. XI. v.* 26.

(2) *Hyg. fab.* 117.

(3) Clytaemnestra a filio necata ab Homero non diserte memoratur. Sed hoc facile intelligi potest ex verbis μητρός τε στυγερῆς *III.* 310: nec praetermittendum h. l. Nestorem loqui et Orestem laudibus efferre, ut eius exemplo Telemachum ad similem ultionem excitet, adeoque propterea eius matricidium quodammodo celare. Add. *Pind. Pyth. XI.* 56. cet.

(4) Add. *Pausan. III. c.* 22.

more dignasset, nec lacrymis fuisset prosecutus, sed insepultum inhonoratumque reliquisset. *III.* 311. 256. *sqq.* Ceterum Aegisthum et Clytaemnestram modico a Mycenarum muris intervallo sepultos refert *Pausan. II.* 16: neque enim eos dignos fuisse habitos qui eodem conderentur loco, quo Agamemnon eiusque comites, qui cum eo occisi fuissent. Atque hic quidem subsistit Homeri narratio, qui Orestis facinus nude exponit, nec quidquam habet de modo quo res peracta fuerit, quo pertinet Pausaniae locus *I. c.* 22, picturam ad laevam Propylaeorum memorantis, in qua exhibiti fuerunt Orestes Aegisthum, et Pylades Nauplii filios, qui Aegistho auxilio venerant, obtruncantes: unde colligi potest non defuisse qui Pyladem Oresti in patris nece vindicanda adfuisse traderent. Ultimo loco memorandus est nobis Plutarchus, vel quisquis fuerit, qui libellum conscripsit de *Parall. Graec. et Rom.*, inter Plutarchi opera relatum. Hic igitur Pyrandrum (1) historicum veterem ad partes vocat dicens: » Post Ilii excidium Agamemnon cum Cas» sandra interfectus est. Orestes autem, *apud Stro*« *phium educatus*, necem patris ultus est, ὡς Πύ« ρανδρος ἐν τετάρτῳ Πελοποννησιακῶν." *Plut. p.* 315. *A.* Ceterum quam corrupta paullatim omnis horum temporum sit historia, vel hoc declarat, quod non defuerunt qui Clytaemnestram non manu filii Orestis inter-

(1) *Pyrander* ille a Vossio relatus est inter historicos incertae aetatis. *L. III. De Hist. Graec. p.* 188. *A.*

etiam Pyladis occurrit nomen, adeo ut incertum sit, an eum apud Strophium educatum fuisse cognoverit Homerus. Certe non ex Phocide sed *Athenis* ad patris ultionem suscipiendam profectus dicitur, *III*. 307. Alia tamen recepta etiam videtur fuisse traditio, secundum quam Orestes, dum pater occideretur, sive a nutrice (1), sive a sorore (2) subductus fuerat, et ad Strophium missus.

Orestes autem, postquam ad pubertatem pervenit, patriae captus desiderio, *Odyss. I*. 41, octavo post patris mortem anno Mycenas rediit, *III*. 306, necisque paternae ultione magnam famam, κλέος, adeptus est *I*. 298, *III*. 196. *sqq:* quippe qui Aegisthum matremque suam occidit (3). Quo facto utriusque iustis fungens, Argivis funebrem coenam praebuit. *III*. 307. *sqq*. *I*. 30.

Hoc ipso die ex Aegypto Menelaus reversus est, quo post Troiae excidium ventis fluctibusque deiectus fuerat, cuiusque absentia fretus Aegisthus regem turpi scelere interemerat (4). Hic si vivum deprehendisset Aegisthum, nemo eum sepulturae hono-

(1) *Pindar. Pyth. XI. v.* 26.

(2) *Hyg. fab.* 117.

(3) Clytaemnestra a filio necata ab Homero non diserte memoratur. Sed hoc facile intelligi potest ex verbis μητρός τε στυγερῆς *III*. 310: nec praetermittendum h. l. Nestorem loqui et Orestem laudibus efferre, ut eius exemplo Telemachum ad similem ultionem excitet, adeoque propterea eius matricidium quodammodo celare. Add. *Pind. Pyth. XI*. 56. cet.

(4) Add. *Pausan. III. c.* 22.

nore dignasset, nec lacrymis fuisset prosecutus, sed insepultum inhonoratumque reliquisset. *III.* 311. 256. *sqq.* Ceterum Aegisthum et Clytaemnestram modico a Mycenarum muris intervallo sepultos refert *Pausan. II.* 16: neque enim eos dignos fuisse habitos qui eodem conderentur loco, quo Agamemnon eiusque comites, qui cum eo occisi fuissent. Atque hic quidem subsistit Homeri narratio, qui Orestis facinus nude exponit, nec quidquam habet de modo quo res peracta fuerit, quo pertinet Pausaniae locus *I. c.* 22, picturam ad laevam Propylaeorum memorantis, in qua exhibiti fuerunt Orestes Aegisthum, et Pylades Nauplii filios, qui Aegistho auxilio venerant, obtruncantes: unde colligi potest non defuisse qui Pyladem Oresti in patris nece vindicanda adfuisse traderent. Ultimo loco memorandus est nobis Plutarchus, vel quisquis fuerit, qui libellum conscripsit de *Parall. Graec. et Rom.*, inter Plutarchi opera relatum. Hic igitur Pyrandrum (1) historicum veterem ad partes vocat dicens: » Post Ilii excidium Agamemnon cum Cas» sandra interfectus est. Orestes autem, *apud Stro*« *phium educatus*, necem patris ultus est, ὡς Πύ« ρανδρος ἐν τετάρτῳ Πελοποννησιακῶν." *Plut. p.* 315. *A.* Ceterum quam corrupta paullatim omnis horum temporum sit historia, vel hoc declarat, quod non defuerunt qui Clytaemnestram non manu filii Orestis inter-

(1) *Pyrander* ille a Vossio relatus est inter historicos incertae aetatis. *L. III. De Hist. Graec. p.* 188. *A.*

teremtam traderent, sed a iudicibus ultimo adfectam esse supplicio: vid. *Serv. ad Aen. XI*. 268. Apud Homerum Orestem a Furiis non agitari iam observavit *Schol. Eur. Or. v.* 247: neque etiam apud eum invenias Orestem e patria eiectum fuisse, et ab Areopago absolutum. Huius rei aperta est ratio. Quum enim Homerus, ut supra vidimus, Orestis factum laudibus efferat, aliena forent quaecumque ad illud facinus vel excusandum vel puniendum pertinerent. Inde nulla etiam apud eum Apollinis oraculorum mentio quibus Orestes excitatus fuerit. Quod si Homerus haec praetermisit, tragicorum tamen ingenio illa non debentur, quippe quae antiquiora sunt. Vulgaris enim fuit opinio Orestem propter maternam caedem a Furiis agitatum fuisse:

ἐμαίνετ' Ἀλκμαίων τε
χ' ὁ λευκόπους Ὀρέστης
τὰς μητέρας κτανόντες (1).

Quae non apud Graecos tantum, sed apud Romanos etiam fuit recepta:

» Ille sororis
» In manibus vultu Eumenidum terretur; et
» igni". (2).

Haec vero traditio an cyclicis originem debuerit certo dicit nequit; hoc sane constat iam Pherecydem et

(1) *Anacreon. Carm* 31.
(2) *Juvenal. Sat. XIV*. 284.

et Hellanicum eam retulisse, multisque monumentis, quae Pausanias memorat, eam fuisse confirmatam. Sed haec ordine quodam a nobis exponenda sunt.

Orestem de matris caede accusatum fuisse Πελοποννησίων οἱ τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντες memoriae prodiderunt, eiusque accusatorem non fuisse Tyndareum; quod e vita iam excessisset, sed Perilaum Clytaemnestrae patruelem: eum vero, antequam Areopagi iudicio se submitteret, Mycenis in Arcadiam migrasse, *Pausan. VIII. c.* 34. Quod oraculi Delphici monitu fecisse fertur, *id. VIII. c.* 5: atque sic patria eiectus, exsul et miser, a poëtis celebratus fuit. Unde Pacuvius (1),

» Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est."

Eumenides Orestem persequentes iam ante tragicos nostros cecinerat Stesichorus, eumque ab Apolline arcum accepisse finxerat, quo illas propelleret. Quem Stesichori locum imitatus esse videtur Euripides: cf. *Schol. Eurip. Orest. v.* 258. Orestem in Arcadia degentem insanisse tradit Pausanias, *L. VIII.* 34, eo loco, ubi inter Megalopolin et Messeniam Furiarum fanum fuit; ibique furentem alterius manus digitum abrosisse: deinde vero, sive haud procul inde in loco Ἄκη dicto, *l. l.*, sive prope Gytheum in lapide quodam sedentem, *L. III. c.*

22,

(3) Apud *Auct. ad Herenn. II* 23.

22, insania liberatum fuisse. Quae vero locis istis memorat Pausanias monumenta, hoc sane probant, totam hanc Orestis historiam inter populares traditiones fuisse receptam. Pherecydes vero narravit eum diutius a Furiis agitatum fuisse, atque ad Dianae templum confugisse, ibique ad aram supplicem consedisse: Eumenides autem ab ipsa Diana propulsatas fuisse, indeque locum ab Oreste Oresteum dictum. *Schol. Eurip. Orest. v.* 1640. Ab Oreste Oresteum nomen traxisse refert etiam *Paus. VIII. c.* 3. Memoratur etiam oppidum a *Thucyd. V. c.* 64. Ex Arcadia Troezenem se contulisse videtur Orestes, quo loco eum, in lapide quodam a matris caede purgatum fuisse auctor est *Pausanias L. II. c.* 31. §. 7, aedificium quoddam ibi memorans, in quo habitare coactus fuerit, quum Troezeniorum nemo eum tecto recipere vellet, antequam facti sanguinis maculam expiationibus eluisset, *ibid.* §. 14.

Athenas vero profugisse Orestem vulgata fuit traditio, sive se ad cognatum Pandionem Atheniensium regem contulerit (1), sive Demophoonte hoc tempore Atheniensibus imperante (2). Ibi Areopagi iudicio causam suam submisisse fertur. Pausaniae tempore exstabat adhuc Athenis ara Ἀθηνᾶς Ἀρείας, quam Orestes absolutus dedicasse perhibebatur (3). Notabilis est locus Scholiastae Euripidis (4), quo in-

(1) *Schol. Aristoph. Equit.* 95. et *Acharn.* 960.
(2) *Phanodemus* apud *Athenaeum L. X. c.* 10. *p.* 437.
(3) Vid. *Paus. I. c.* 28.
(4) Ad *Orest. v.* 1643.

integrum Hellanici fragmentum de Areopago ad nos pervenit. Haec igitur sunt ipsius Hellanici verba: Μετὰ δὲ τὴν Δαιδάλου δίκην — — τρισὶ γενεαῖς ὕστερον αὕτη ἡ Τυνδαρὶς Κλυταιμνήστρα Ἀγαμέμνονα ἀποκτείνασα, καὶ ὑπὸ Ὀρέστου ἀποκτανθεῖσα, συγκροτηθῆναι δίκην τῷ Ὀρέστῃ ὑπὸ Εὐμενίδων παρεσκεύασεν, ὃς μετὰ τὴν κρίσιν ἐπανελθὼν, Ἄργους ἐβασίλευσε. καὶ ἐδίκασεν δὲ Ἀθηνᾶ καὶ Ἄρης (1).

Quod Hellanicus Iphigeniae in Tauris praetermittat historiam, confici tamen inde non debet veteres illam ante tragicos poëtas ignorasse. Etenim iam Hesiodus, ἐν καταλόγῳ γυναικῶν, Iphigeniam caesam non fuisse tradidit: quibuscum convenire notat Pausanias (2) quae scripsit Herodotus (3), Tauros in Scythia naufragos immolare virgini, quam ipsi Iphigeniam Agamemnonis filiam esse dicant. Iphigeniam igitur cum fratre Oreste Orthiae Dianae signum e Taurica sustulisse fama fuit (4). Navi vero vecta ad pagum Brauronem, haud procul a Marathone, appulisse, indeque Athenas, et deinde Argos pervenisse fertur (5). Atque hi Pausaniae loci Iphigeniae Tauricae historiam vulgo receptam et notissimam fuisse satis declarant (6). Quae vero Hyginus *Fab.* 120, de Iphigenia fusius narrat, ea hic adferri non possunt, quippe quae non ad historiam

(1) Cf. *Philostratus cap. VI. Heroic.* et *Tzetzes ad Lycophr. v.* 1374.

(2) *Paus. I.* 43.

(3) *Herod. IV.* 103.

(4) *Paus. III. c.* 16.

(5) *Paus. I. c.* 33.

(6) Cff. quae supra de Iphigenia disputavimus.

riam pertinent; sed tantum τὰ τραγῳδούμενα referre videntur. Totum enim illud Hygini caput manifesto nihil aliud est quam Euripideae Iphigeniae in Tauris brevis descriptio.

Ad Orestis fata etiam pertinet Neoptolemi mors, quem ab Oreste caesum refert Euripides. Atque haec traditio apud veteres testibus non caruit (1); unde Virgilius:

» Orestes
» Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras. «

Magis tamen fuit vulgata narratio Neoptolemum non ab Oreste occisum fuisse. Eum Delphis ad Apollinis aram oraculi iussu necatum tradit Pausanias (2), et quidem ab Apollinis Delphici sacerdote (3), qui a Strabone *L. IX. p.* 645. *A*, vocatur Μαχαιρεὺς (4). Quocum consentit Pherecydis locus (5), quem servavit *Schol. Eurip. Orest. v.* 1649.

(1) *Vell. Paterc. L. I. init. Iustin. L. XVII.* 3. *Hygin fab.* 123. *Eusebius Chron. ad ann.* DCCCLIV.

(2) *L. I. c.* 11. *c.* 13. *IV. c.* 17.

(3) *L. X. c.* 24.

(4) Cf. *Euseb. Chron. l. l.*

(5) A P. Leopardo emendatus: cf. *Sturz ad Pherec. fr. p.* 227. Eadem habet Pindarus *Nem VII.* 50. *sqq.* quo loco tamen observandum eandem occurrere vocem μαχαίρᾳ, quae in Pherecydis loco emendatur: nisi apud Pindarum etiam legendum sit Μαχαιρεὺς, quod tamen affirmare non audeo. Ista vero coniunctio ἀνὴρ Μαχαιρεὺς defendi facile posset: cf. Erfurdt et Hermann *ad Soph. Elect. v.* 45. — Ceterum haec omnis historia Neoptolemi ab antiquis auctoribus diverse tractata fuit. Cf. Heynius *Excurs. X et XII. ad Aeneid. Lib. III.*

1649. Euripideae vero traditioni ansam praebuisse videtur fama, qua Neoptolemus Hermionem uxorem habuisse fertur, cuius auctor primo loco nobis memorandus est Homerus. Hic enim *Odyss. IV. init.* refert Menelaum filiam suam Hermionem ad Neoptolemum in Thessaliam uxorem misisse, ut promissi fidem solveret: ad Troiam enim se filiam suam ei daturum spoponderat. Accedit Pherecydis, modo citati, auctoritas, Neoptolemum ex Hermione, quam uxorem duxerat, nullos habuisse liberos dicentis, eumque propterea Delphos venisse ut oraculum de liberis procreandis consuleret. Eadem narrat Pausanias *l. I. c.* 11, qui etiam in sequentibus, *c.* 33. *fin.*, Hermionem, antequam Oresti nuberet, Neoptolemo desponsatam fuisse refert. Ceterum Orestem deinde Hermionem uxorem habuisse, ex qua Tisamenum filium susceperit, recepta fuit opinio (1), atque hoc ipso, quod Menelai filiam duxisset, hereditario quodam iure Lacedaemoniis imperasse (2).

Orestem vero in regnum paternum rediisse iam Hellanicus (3) retulit. Nec tantum Argos tenuit, sed maiorem etiam Arcadiae partem imperio suo fertur adiunxisse (4). Quin etiam Spartanum regnum accepisse dicitur (5). In Arcadia eum obiisse nar-

(1) *Pausan. II. c.* 18. *I.* 33. Cf. *Hygin. fab.* 122. 123.
(2) *Paus. III. c.* 1.
(3) Apud *Schol. Eurip. Or. v.* 1643.
(4) *Pausan. II. c.* 18. §. 5.
(5) *Paus. III. c.* 1. et *c.* 16. §. 6. Cf. *Vell. Paterc. l.* I.

narravit Asclepiades (1), quod Herodoti, et Pausaniae auctoritate confirmatur. Memorant enim historici illi Orestis Tegeae in Arcadia sepulcrum, unde eius ossa Lacedaemonem translata fuisse perhibentur (2). Ceterum quot annos Orestes vixerit et regnaverit inquirit Meziriacus ad *Ovid. tom. II. p.* 364. *sq.*

Atque haec quidem proposito nostro sufficiant. Quae Pelopidarum historiae descriptio si cui longior videatur, is bene adtendat, velim, in fabulis nostris saepe ad Pelopidarum antecedentia fata respici, saepe etiam insequentem Orestis historiam significari. Quod in Sophocle minus, magis in Aeschylo, maxime vero in Euripide fieri videas. Quare ut, quantum in me est, ad fabularum istarum historicam interpretationem aliquid conferrem, non inter angustos earum fines mihi subsistendum fuit. Sic v. g. illud etiam quod in Euripidis *Electrae* et *Orestis* fine legimus, de Orestis et Hermionae, deque Pyladis et Electrae nuptiis, quod sane tragoediae minus convenit, nec tamen Graecis, aeque ac nostri temporis hominibus, ridiculum visum fuisse mihi persuasum habeo, hoc igitur non in illam quoque incidit reprehensionem, ut historica fide careat, adeoque ineptum Euripidis inventum dici possit. De Oreste quidem et Hermione supra vidi-

(1) Apud *Schol. Eur. Or. v.* 1640.

(2) *Herodot. L. I.* 67. *Pausan. L. III. c.* 3. *c.* 11. *fin. L. VIII. c.* 54.

dimus. Pyladi vero nupsisse Electram, eique Medontem et Strophium filios peperisse, memoriae mandavit *Hellanicus*, teste Pausania. *L. II. c.* 16. *fin.* cf. *Hygin. fab.* 122. et *Tzetzes ad Lycophr. v.* 1374.

Superest ut pauca de tragoediarum nostrarum personis quibusdam subiiciamus.

Orestes, secundum Homerum, iam ante Troianum bellum natus erat. Agamemnon cum Achille in concordiam redire cupiens, haec dicit, *Iliad. IX.* 142:

> τίσω δέ μιν ἶσον Ὀρέστῃ,
> ὅς μοι τηλύγετος τρέφεται θαλίῃ ἔνι πολλῇ.

Redeunte igitur Mycenas Agamemnone, undecim vel duodecim annos natus fuit Orestes (1). Octavo vero demum anno post patris caedem, eius ultionem adgressus est, *Odyss. III.* 306, postquam ad pubertatem pervenerat, *Od. I.* 41; adeoque secundum Homerum historiae nostrae tempore viginti circiter annos (2) natus fuit: quod ad ἀναγνώρισιν apud tres tragicos diiudicandam, bene tenendum est.

Electrae nomen nusquam apud Homerum invenias.

(1) Non defuerunt tamen qui alia traderent. Orestem enim tres tantum annos natum fuisse, cum Aegistho subduceretur, narravit *Herodorus* ἐν Πελοπείᾳ. Vid. *Schol. Pind. Pyth. XI.* 25.

(2) Eandem ei Argos redeunti aetatem tribuit *Schol. Sophocl. in Argum. Elect.* in Cod. Ien.

niae. Tres filias suas memorat Agamemnon, *Iliad.* *IX.* *v.* 145:

Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα (1).

Xanthus autem, vetus poëta, Stesichoro Himeraeo antiquior, Electram prius Laodicen dictam fuisse tradidit: eam vero, postquam regnum Aegisthus occupasset, diu nuptiarum expertem, propterea Electram appellatam: Ἀργεῖοι Ἠλέκτραν ἐκάλεσαν (2): quod miror neminem animadvertisse ab ipsa Electra apud Euripidem significari, *El.* *v.* 115.

ἐγενόμαν Ἀγαμέμνονος
κούρα, καί με τίκτε Κλυταιμνήστρα,
στυγνὰ Τυνδάρεω κόρα.
κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν
Ἠλέκτραν πολιῆται.

Pertinent huc Helenae verba Electram adloquentis, *Orest.* *v.* 72.

παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος, Ἠλέκτρα, χρόνου.

Ea-

(1) Sophocles quatuor habet, Iphigeniam, Chrysothemin, Electram, et Iphianassam. Cf. *Scheffler ad Soph. El. p.* 155. Duarum tantum mentio apud Aeschylum, Iphigeniae et Electrae. Euripides, *Orest.* *v.* 23, diserte tres nominat, Chrysothemin, Iphigeniam et Electram. In *Iphig. Taur.* vero *v.* 548. praeter Iphigeniam sola Electra memoratur.

(2) *Aelian. Var. Hist. L. IV. c.* 26. Idem narrat *Eustath. ad Iliad. l. l.* Fuerunt tamen qui Electram non antea Laodicen, sed Iphianassam dictam fuisse referrent. Cf. *Schol. Eur. Orest. v.* 23.

Eadem dicitur ἄγαμος, ἄτεκνος, *ibid* *v.* 196. Spectat eodem locus in Sophoclis *Electra* *v.* 178. *sqq.*

Strophii quoque nulla in Homericis carminibus fit mentio. Eius genus recenset Pausanias *L. II. c.* 29: sc. Aeaci filium Phocum duos reliquisse filios Panopeum et Crisum, ex Criso natum esse Strophium, Pyladis patrem. Regia igitur fuit stirps, cum Pelopidis praeterea affinitate coniuncta. Atrei enim filiam Cydragoram duxisse Crisus, Strophius vero Anaxibiam Agamemnonis sororem uxorem habuisse fertur (1). Phoci autem filii, auctore Pausania *l. l.*, circa Parnassum eam tenuerunt regionem, quae deinde Phocidis nomen accepit, ibique Strophium imperium paternum tenuisse veri simile est. Confirmatur illud Pindari loco, *Pyth. IX.* 52. de Oreste canentis:

> ὁ δ᾽ ἄρα γέροντα ξένον,
> Στρόφιον, ἐξίκετο νέα κεφαλᾷ,
> Παρνασσοῦ πόδα ναίοντ᾽. κ. τ. λ.

Gilissam Orestis nutricem vocat Aeschylus *Choeph. v.* 721: quo loco animadverti potest, vel in re tam exigui momenti, veteres non consentire. Eandem enim Arsinoëm dicit *Pindar. Pyth. XI.* 26. Phe-ne-

(1) Cf. *Schol. Eurip. Orest. v.* 1226: quo loco Crates citatur, aliaeque traditiones quaedam referuntur, quarum ea, quam recepimus, veri simillima videtur. Strophii genus etiam recensetur *ibid. ad v.* 33: ubi tamen eius uxor Cydragora dicitur; sed errore ut videtur. *Hygin. fab.* 117 eam vocat Astyocheam. Ceterum *Pausan.* etiam *l. l.* eam Anaxibiam fuisse refert.

recydes vero (1), et Stesichorus (2) Laodamiam appellarunt. Ceterum Wellauerus Κίλισσα corrigit, auctoritate Codicis Med. Turn. Nescio an recte. Scholiastes sane Γέλισσα legisse videtur. Praeterea quum ista emendatio nonnisi ad patriam indicandam illius famulae pertinere possit, haud veri simile videtur ante bellum Troianum servos Cilices habuisse Agamemnonem.

Eumenides etiam apud Aeschylum suas partes agunt, apud Euripidem in *Electra* memorantur, in *Oreste* matricidam persequuntur. Furiarum ortum narrat Hesiodus *Theog. v.* 180. *sqq.* sc. eas ex Urani genitalium sanguinis guttis, a Terra susceptis, natas esse. Quam originem eis etiam tribuit *Apollodor. Bibl. L. I. c.* 1. §. 4. (3). Erinnyum autem nomina Hesiodus nondum noverat. Occurrunt illa in Orphicis: *Argonaut.* 966. Ab Homero et Hesiodo dicuntur Ἐριννύες. In templis et sacris solenni nomine (4) appellabantur, Athenis Σεμναὶ, *Pausan. I.* 28 *et* 31. *VII.* 25, in Sicyonia vero Εὐμενίδες, *Paus. II. c.* 11. Quod *Eumenidum* nomen quando invaluerit οὐκ ἔχω διασημῆναι ἀτρεκέως: ab

(1) *Schol. Pindar. ad l. l.*

(2) *Schol. Aesch. Choëph. l. l.*

(3) Cf. Munck. et v. Staveren *ad Hygin fab. p.* 4. et Heyne *in Notis ad Apoll. p.* 6. Ceterum de Furiarum parentibus quaedam collegit etiam Siebelis, in *Phanod. Istri, cet.* Ἀτθίδων *Fragm. p.* 56.

(4) Vid. *Siebelis ad Pausan. L. II. c.* 11. §. 4.

ab Hellanico sane iam fuit usurpatum (1). Quod autem *Schol. Soph. Oedip. Col. v.* 39. tradit, illas *Eumenidum* accepisse nomen, hoc ipso tempore, quo Orestes absolutus est, εὐμενεῖς αὐτῷ γενομένας, illud satis incertum est: ἔνιοι δέ φασι. Videtur illa vox Homero et Hesiodo recentior, quod si verum est, nugatur Sophoclis Scholiastes, vel illi ἔνιοι. Superest ut quales apud Homerum et Hesiodum prodeant Erinnyes, paucis exponamus. In Orco vel Erebo habitare dicuntur ab Homero, *Iliad. IX. v.* 572, ibique, ὑπὸ γαῖαν, ab hominibus poenas repetere, *Iliad. XIX. v.* 260. Ad res periculosas suscipiendas, et ad magna facinora homines excitant, *Odyss. XV.* 234, quin etiam ad iram et ad scelera, *Il. XIX.* 87. Natu maiorum iura vindicabant, *Il. XV.* 204. Iniurias ulciscebantur, *Od. XVII.* 475, in primis vero periurium, *Il. XIX.* 260. *Hesiod. Op. et D.* 801. Nonnumquam alio etiam sensu occurrunt: v. g. ἐριννύες, i. e. ira *Il. XXI.* 412, imprecationes vel dirae *Od. II.* 135: sic de Epicaste et Oedipo *Od. XI.* 278:

ἄλγεα . . . .
πολλὰ μάλ', ὅσσα τε μητρὸς ἐριννύες ἐκτελέουσι.

Qui locus, etsi non idem significet, at prope tamen accedit ad Aeschyleum

φύλαξαι μητρὸς ἐγκότους κύνας.

Quod

(1) Apud *Schol. Eurip. l. l.*

Quod ad Furiarum habitum attinet, στυγεραὶ dicuntur *Od. XX.* 78, κρατεραί *Hesiod. Theog.* 185. Quae sane adeo sunt pauca, ut quae ad Eumenidum foedum adspectum tristeque munus pertinent, pleraque tragicorum ingenio deberi facile possis suspicari. Alios tamen antiquiores poëtas ipsi fortasse in hac re auctores secuti sunt. Eiusmodi enim Furiarum terricula, ante Aeschylum, iam exhibuisse Stesichorum, mihi coniicere posse videor ex loco *Schol. Eurip. Or. v.* 258.

---

§. 2.

De iis quae a Tragicis poëtis conficta videntur.

Idem, quod supra monui, hoc etiam loco isti τῶν τραγῳδουμένων expositioni praemittere debeo, omnem hanc operam non nisi coniecturis niti. Primum enim periculum est, ne tragicis saepe ea temere tribuamus quae aliunde ipsi hauserunt: quae res, deperditis eorum fontibus, ad liquidum perduci nunquam poterit, quare huiusmodi erroris facilis erit excusatio. Deinde vero magis etiam metuo, ne doctrinae, quae iuventutis non est, defectu, unum alterumve, in tanta scriptorum multitudine, praetermiserim locum, ad historiam illam pertinentem: vel in ipsa locorum, quos adtuli, auctoritate ponderanda, saepius, in difficillima critica arte tiro

ac

ac rudis, lapsus fuerim. Sed hoc quoque, spero, doctiores viri mihi condonabunt, memores istius Longini: ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

Pelopidarum historiam non inde a Myrtili caede repetit Aeschylus. Quod autem Heathius et Schützius πρώταρχον ἄτην, *Agam.* v. 1165, Myrtili casum significare pronuntiant, hoc propria auctoritate dicunt, nec satis accurate. Sophoclis enim et Euripidis loca, quibus suam sententiam confirmari arbitrantur, nihil probant. Potuit enim Aeschylus diversam, atque illi, traditionem sequi. Debuissent ipsius Aeschyli loca ad partes vocare, quod non fecerunt, quandoquidem nullus eiusmodi locus in Aeschylo invenitur. Quid igitur? Aeschylum Myrtili caedem ignorasse non contendo. Noverit, ignoraverit, nihil ad nos; sed nusquam sane eius mentionem ullam facit, neque etiam huic origini Pelopidarum insequentia mala tribuit. Ipsum audias, *Choëp.* v. 1069:

Ὅδε τοι μελάθροις τοῖς βασιλείοις
Τρίτος αὖ χειμὼν
Πνεύσας γονίας ἐτελέσθη.
Παιδοβόροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν
Μόχθοι τάλανές (τε Θυέστου).
Δεύτερον ἀνδρὸς βασίλεια πάθη·
Λουτροδάϊκτος δ' ὤλετ' Ἀχαιῶν
Πολέμαρχος ἀνήρ.
Νῦν δ' αὖ τρίτος ἦλθέ ποθεν σωτήρ·
Ἢ μόρον εἴπω;

Pri-

Primam igitur Aeschylus Pelopidarum cladem recenset Thyestis coenam, *secundam* Agamemnonis mortem, *tertiam* eiusdem ultionem: unde patet illud πρώταρχον ἄτην non de Myrtili caede, sed de Thyestis coena intelligendum esse. Aëropae ergo adulterio, *Agam.* 1165, et Atrei sceleri, tanquam primariis causis, Agamemnonis mortem tribuit Aeschylus. Hoc Cassandra primum obscurius significat, *Agam.* 1067. 1190, *cf.* 1215, Aegisthus vero deinde aperte declarat, *v.* 1565—1586. Scilicet ab hoc inde tempore δαίμων vel ἀλάστωρ aliquis in familiam illam saevierat, caedesque caedibus vindicaverat. *Ag.* 1447, 1457. 1489.

ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ
Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος. *Ag.* 1482.

A Pelope inde res repetit SOPHOCLES. Apud eum enim Πέλοπος ἁ πρόσθεν πολύπονος ἱππεία, Myrtilique mors, malorum istorum origo dicuntur, *El.* *v.* 497. *sqq.* (1): a quo inde tempore eius progenies continuis cladibus afflicta iacuerit, *ibid.* 505 (2). Aëropae etiam adulterium, et Thyestis δύστηνον οἰκείων τέκνων memorat Sophocles, *Aiac.* 1279. *sqq.* Pelopidarum vero historiae copiosissimus inter poëtas auctor

(1) Add. *v.* 10. *v.* 1409. *sqq.*

(2) Mercurii mentionem *El.* *v.* 1391, non ad Myrtilum spectare, sed propterea fieri, quod fallaciae adiutor Deus ille habebatur, Hermanno adsentior. Optime hunc locum illustrat Scheffler, *Philoctet.* *v.* 134 aliaque conferens.

ctor est EURIPIDES, cuius apud eum haec est summa. Pelops Tantali f. Pisam se contulit, ibique Hippodamiam adeptus, Oenomaum hasta occidit. *Iphig. Taur v.* 1. *sqq. v.* 806. *sqq.* Deinde in litore curru vectus Myrtilum in mare deiecit, atque ita eius patrem Mercurium sibi posterisque suis infestum reddidit: ὅθεν δόμοισι — ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος. *Orest. v.* 981. *sqq. Iphig. Taur.* 183. *sqq. Orest. v.* 1541. Deorum enim ira infelix Pelopis genus persequi videbatur, *Iph. T.* 956. Secuta est de aureo agno lis quam Atreo et Thyesti immisit Mercurius. *Or.* 988. *sqq.* Thyestes, postquam fratris uxorem adulterii crimine sibi devinxerat, aureum etiam agnum nactus est. *Elect.* 722. *sqq.* cf. *Iph. T.* 795. Hic novorum malorum fuit fons et origo:

ὅθεν φόνῳ φόνος ἐξαμείβων
δι' αἵματος οὐ προλείπει
δισσοῖσιν Ἀτρείδαις. *Orest.* 804.

Quum enim exinde discordia et inimicitiae inter fratres exortae essent, Thyesti liberos suos epulis adposuit Atreus, *Or.* 13. Hanc cladem secuta est Agamemmonis caedes, *Elect.* 748: et ultimo denique loco vetus illa ἄτη πατέρων Orestem ad matrem necandam impulit, *El.* 1308. *Orest.* 1002. Apud Euripidem igitur illa Pelopidarum mala arctissimo vinculo continentur. Ceterum eum, in iis quae de aureo agno tradit, *Alcmaeonidis* auctorem secutum esse discimus ex *Schol. ad Orest. v.* 988.

IPHIGENIAM in Aulide re vera mactatam fuisse

tradunt auctores nostri, apud quos Clytaemnestra mariti caedem filiae suae nece defendit. Aesch. *Agam.* vs. 1390. 1506. 1536. soph. *Elect.* vs. 521. *sqq.* eurip. *Elect.* vs 1024. *sqq.* Quod autem ad Euripidem attinet, observandum est, eumdem Iphigeniam Aulide non mactatam, sed a Diana servatam, et in Tauricam terram delatam effinxisse, *Iphig. Taur.* 28. *sqq.*, adeoque alicui in mentem venire posse hanc totam Clytaemnestrae defensionem inanem esse et fere ridiculam. Primum quidem animadvertendum est Euripidem in diversis istis fabulis diversas traditiones sequi potuisse, tragicum enim poëtam historicum non esse. Deinde vero recte dubitari potest an poëta in tragoediis illis sibi non constiterit. Iphigeniam non mactatam, sed a Diana servatam refert, in *Iphigenia Taurica.* Sed num Graeci, adeoque Clytaemnestra etiam, eam servatam fuisse sciebant? Minime: eam re vera mactatam fuisse arbitrabantur, eique cervam ita subposuerat Diana, ut Graeci cervam illam ad aram ferientes, Iphigeniam se iugulasse crederent. Ipsa Iphigenia, apud Euripidem, fratrem de patria, deque iis quae in Aulide acciderant interrogat, *Iph. Taur.* v. 549:

τί δὲ, σφαγείσης θυγατρὸς ἔστι τις λόγος;

Cui respondet Orestes:

οὐδείς γε, πλὴν θανοῦσαν οὐχ ὁρᾶν φάος.

Eadem dicuntur, v. 170. 754. 767. 812. Ignora-

rabat igitur Clytaemnestra filiam suam a Diana servatam esse. Nec quis nobis obiiciat in *Iph. Aulid.* *v.* 1563 nuntium ipsi Clytaemnestrae narrare cervam Iphigeniae loco mactatam esse. Illa enim fabula *Iphigenia Aulidensis*, multis locis interpolata et mutilata, vix Euripidem auctorem habere videtur: in qua siquidem loca nonnulla eaque pauca ab ipsius fortasse manu profecta sunt, pleraque in hac tragoedia, quam inchoatam et imperfectam relictam esse dicas, ab alio expleta videntur. Totus fabulae finis, inde a *v.* 1535, certe non est Euripidis. Cff. quae hac de re accurate et docte disputat *Matthiae in Not. ad Iph. Aul. init. et ad* *v.* 1508. Verum quidem est, quod Matthiae et Hermannus contendunt, in huius tragoediae exitu epilogo opus fuisse; sed in animo fortasse habuit Euripides fabulae finem imponere nuntii quadam de Iphigeniae generosa morte narratione, qualis Talthybio de Polyxena in *Hecuba* tribuitur: in eiusmodi enim nobilioribus animi affectibus, et virili in virgine constantia atque fortitudine exprimendis, maxime excelluit Euripides. Ceterum haec de Clytaemnestra, Iphigeniam servatam esse ignorante, propterea monui, quod mihi persuasum habeo Euripidi non adeo propositum fuisse singulas fabulas ad hoc argumentum pertinentes conscribere, quam potius tragoediarum quadam serie (1) universam Pelopidarum historiam recensere.

Aga-

(1) Pertinuerunt eo, praeter eas quas habemus fabulas, Oe-

 no:

Agamemnonis mors a poëtis nostris non eodem narratur modo. Homerum in quibusdam secutus est Aeschylus, in quibusdam etiam eius traditioni propria inventa substituit. Atqui quae ingenio suo debuit, eorum nonnulla satis inepta sunt. Excubitorem, non uti Homerus ab Aegistho auro conductum, sed a Clytaemnestra iussum, Agamemnonis reditum observare fingit. Hio igitur speculator, homo probus Agamemnonique benevolus, *Agam. v.* 18. *v.* 34, in excelsa aedium regiarum parte collocatus erat, ut ignem, futurum Troiae excidii signum, quam primum conspiceret, rem ad Clytaemnestram referret. Ita scil. ab Ida monte per Lemnum insulam, montem Athonem, item Messapium montem ad Euripum aliaque loca, stationes dispositae erant, ut in iis ignes adcensi in sequente quaque specula conspici possent, indeque sequenti iterum stationi eodem per ignem signo dato, Troiae excidium, hoc modo nuntiandum, Argivis citius innotescere posset, *Ag. v.* 272. *sqq.* Atqui, licet Schützio, *in Exc. II. ad Agam.*, concedam rem eiusmodi fieri posse si locorum situs rationem habeas, eam nihilominus, ubi homines, mores, tempora animadvertis, non nisi ineptum Aeschyli commentum esse duco. Neque enim ille *Rex regum*

nomaus, *Chrysippus*, *Plisthenes*, *Atreus*, *Thyestes*, *Cressae*, etc. Si quidem duae illae tragoediae, Atreus et Thyestes, diversae fuerunt a Cressis: de quo tamen dubitatur. Vid. *Valckenaer. Diatr. de Num. perd. Dram. Eurip. p.* 12.

gum Agamemnon, eràt nostri temporis Rex regum. Praeterea quae Homerus tradit sunt simplicissima, et veri similitudinis etiam laude se commendant. Aeschylus quum hoc loco grandia, mirabilia et inaudita consectaretur, ridicula protulit, in quod ii facile incidunt, qui nimis magna et alta conscendere conantur. Praeterea in eo lapsus est tragoediae pater, quod eodem die quo Troia capta est *v.* 270, Agamemnon Argos veniat: praesertim quum tempestatibus etiam disiectus fuerit, *v.* 636. *sqq.*: quod iam veteres quosdam reprehendisse notat *Schol. ad Ag. v.* 512. Atque maius illud fuit vitium in vetere tragoedia, quam nostris foret moribus. Hodie enim protracto aulaeo inter singulos actus quisque spectatorum tantum, quantum ipsi lubeat, temporis intervallum intercessisse sibi fingere potest: *cf. Schütz Exc. I. ad Agam. p.* 324. Ea quae ad ipsam Agamemnonis necem pertinent, Aeschylus ita immutavit ut regis interitum tristiorem efficeret, atque tragoediae suae universo consilio aptiorem. Regi Aegisthus obvius non fit, neque eum, tanquam honoris causa, domum suam deducit; sed Clytaemnestra simulatis amoris signis et ficta submissione omnem ab eo removit suspicionem, *Ag. v.* 829—887, eumque in regias aedes deducit, *ib.* 942. Marito deinde in balneo iniicit pallium quoddam nec capitis nec manuum exitum habens, ἄπειρον ἀμφίβληστρον ὥσπερ ἰχθύων, *Ag.* 1355. cf. *Choëph.* 992. *sq.*, illumque hoc ἀτέρμονι δαιδάλῳ πέπλῳ irretitum, *Eumen.* 605, Aegisthi ense, *Choëph.*

1006,

1026, propria manu confodit. *Ag.* 1357. 1378. Cf. *Agam.* 1080. 1100. *Choëph.* 484. *sqq.* 975. *sqq.* *Eumen.* 438. Cassandram etiam interfecit. *Ag.* 1419. *sqq.* Aegisthus enim ipse rem adgressus non est, *Ag.* 1617. *sqq.*, sed doli tantum inventor fuerat, *ibid.* 1591. Neque eo substitit Clytaemnestrae furor; sed Agamemnonis etiam cadaver contumeliose truncavit, eumque vix sepulturae honore prosecuta est, *Choëph. v.* 433. *sq.*

Clytaemnestram in maritum ita turpiter saeviisse, eumque post mortem mutilatum fuisse, μασχαλισθῆναι, tradit etiam SOPHOCLES, *Elect.* 438: qui ceterum in paucis istis, quae de Agamemnonis morte habet, Homerum auctorem sequitur: quod eum in universa rerum narratione plerumque facere iam notavit *Scholiast. ad v.* 439. Aegisthum igitur et Clytaemnestram refert, Agamemnonem in ipsius thalamo, *v.* 189, dolo adgressos, *v.* 192, inter epulas, *v.* 198, securi in capite feriisse, *v.* 97 *sqq.* *v.* 190. 124. 581. Quod autem dicit Staverenus, Sophoclem eadem narrare quae Hyginum *fab.* 117, Agamemnonem *sacrificantem* interfectum esse, hoc multis refellere opus non est. Ipsum locum adponemus, ut pateat quam negligenter doctissimus ille vir eum ad partes vocaverit. Nihil enim aliud *v.* 263, dicit Sophocles, nisi Aegisthum

παρεστίους
σπένδοντα λοιβὰς, ἔνθ' ἐκεῖνον ὤλεσεν.

Quod ita videtur accepisse Staverenus ac si σπένδον-

ἄντα λαβὰς de Agamemnone diceretur, adeoque cum ἑκών coniungendum esset.

Euripides vero relicta via, quam Sophocles secutus erat, Aeschyli narrationem recepit. Agamemnonem igitur refert, in aedibus regiis, *Elect.* v. 317, Clytaemnestrae dolo, Aegisthique manu interemtum, *El.* v. 9 *sq.*: scilicet uterque huius sceleris fuerat particeps, *El.* v. 86. v. 123: eum enim in balneo, *El.* v. 157. *Orest.* 357, ἀπείρῳ ὑφάσματι impeditum, *Or.* v. 25, securi, *El.* 160, et gladio, *El.* 164, ferierant. Sepulcrum etiam eius indigne et contumeliose habitum, *El.* v. 321 *sqq.* Aeschyli inventum, de pallio isto vel vestimento in quo occisus fuerit Agamemnon, recepit etiam Lycophron. *Alex.* v. 1374.

Orestem ab ipsa Clytaemnestra, ante Agamemnonis reditum, ad Strophium Phocensem missum, apud quem educaretur, habet Aeschylus, *Agam.* 854 *sqq.* Apud Sophoclem vero Orestem matris furori eripuerat Electra, *El.* v. 290. 315. 1126 *sqq.*, eumque seni cuidam, viro fido et probo (Paedagogo) tradiderat, v. 12. Hic Orestem a sorore acceptum, in Phocidem a se ablatum, v. 1345, servaverat, ibique educaverat, ut iuvenis factus patrem ulcisceretur, v. 13. *Phocidis* h. l. mentio suspicionem movere potest Orestem, secundum Sophoclem, ibi apud Strophium degisse. Paedagogus etiam et Orestes in fabula nostra Phocenses se esse simulant, v. 45. 752. 1103. Paedagogus vero, falsum de Orestis morte nuntium afferens, v. 663.

v. 663, se a *Phanoteo* Phocensi missum esse declarat, idque ipsius Orestis iussu dicit, *v.* 45. Qui locus difficilior est. Erfurdtius *ad v.* 45, *Phanoteum* non esse nomen proprium contendit, sed incolam notare *Phanotes*, oppidi Phocidis: adeoque intelligi Strophium Phanotensem. Erfurdtii sententiam reiicit Hermannus, propter *v.* 663: ubi legitur Φανοτεὺς ὁ Φωκεύς: quare h. l. significari vult virum quemdam nomine *Phanoteum*. Erfurdtius Aeschylum ad partes vocat, ut *Strophium* hic intelligi probet. Sed hoc nihil probat, quum in iis, quae ad historicam rerum interpretationem pertinent, tragici non ex se invicem, sed ex aliis ipsorum locis explicari debeant, ne variae traditiones temere confundantur: quam interpretum negligentiam saepius notavimus. Nec tamen Hermanni animadversio omne dubium solvit. Utrumque virum doctum fugit *v.* 1107: quo loco Orestes urnam, qua tanquam mortui proprios cineres contineri simulat, ferens, disertis verbis se, non a *Phanoteo*, sed a *Strophio* missum esse dicit:

ἀλλά μοι γέρων
ἐφεῖτ' Ὀρέστου Στρόφιος ἀγγεῖλαι πέρι.

Quid igitur? Num Orestes et Paedagogus, postquam antea, *v.* 20—77, quo modo rem optime adgrederentur, communi consilio constituerant, tam parum sibi constant, ut eadem nuntiantes, hic, *v.* 663, se a Phanoteo, ille vero, *v.* 1107, se a Strophio missum esse dicat, adeoque diversa tradant.

stant? sed hoc ridiculum est: nisi statuas Orestem h. l. fingere a Strophio missum esse se cum reliquiis illis, dum nuntius per paedagogum a Phanoteo mitteretur; quo maior diversis his nuntiis rei fides concilietur. Verum hoc quoque non admodum placet. In omni enim hac Orestis historia incognitum est istud Phanotei nomen, nec quisquam veterum Phanoteum quemdam Agamemnonis aut Clytaemnestrae aut Aegisthi hospitem vel amicum memorat; at Strophius saepissime memoratur. Quare, quum antiqui poëtae tragici, secus ac nostri temporis poëtae, nova et incognita personarum nomina excogitare iisque uti non consueverint, cavendum est ne temere dicamus Sophoclem ignoti cuiusdam hominis, Phanotei, mentionem fecisse: in primis quum commode locis iis Strophium intelligere potuerit. Ita enim omnia optime procedunt, si paedagogus primum, *v.* 66, quasi a Strophio missus, Orestis obitum nuntiat, et deinde Orestes ipse fingit se ab eodem Strophio cum reliquiis istis mitti, *v.* 1107. Inutilis igitur et aliena est Phanotei cuiusdam mentio: quare tantum superest ut dicamus Strophium et Phanoteum illum non diversos homines, sed eundem esse. Iam vero si quis Erfurdtii sententiam defendere velit, atque contendere Strophium Panopae, vel Phanoteae, vel Phanotei habitasse, is meminerit secundum Pindarum, *Pyth. XI.* 52, Strophium ad Parnassum degisse, Παρνασσοῦ πόδα ναίοντα: a quibus non discrepant quae Pausanias de Phanotei oppidi situ habet. A Panopeo enim

circiter VII stadia (1) distare Daulidem narrat, *L. X. p.* 615. *med. Edit. Sylb.*, Daulide (2) vero ad Parnassi iuga adscendi, *ib. p.* 616. *med.* Neque negliget ille voces μέγιστος δορυξένων, quibus a Sophocle, *v.* 46, Phanoteus iste significatur, quum ab Aeschylo Strophius dicatur εὐμενὴς δορύξενος. *Agam. v.* 854. coll. *Choëph. v.* 901. Cf. Stanleius *ad h. l. Choëph.* Quae loca collata suspicionem confirmabunt, Phanoteum illum eumdem esse ac Strophium. Ceterum ex *El. v.* 663. vix dubium superest quin *Phanoteus* sit nomen proprium. Num igitur de duplici nomine cogitandum, ita ut Strophius etiam Phanoteus dictus fuerit? Non sane exemplum memini viri cuiusdam temporibus iis duplici nomine utentis. Num de nomine intelligendum quod Strophius ab aliquo maiorum acceperit, cuiusmodi sunt Atrides, Telamonius, alia? Strophii sane patris Crisi, secundum Asiam (3) poëtam, fuit frater Panopeus, *Pausan. II. c.* 29. §. 4: idem qui Panopeo oppido nomen dedit, *id. X. p.* 614. *med. Sylb:* atque oppidum illud etiam Phanote, Phanoteus, Phanotea dictum fuit: vid. *Auctores ab Erfurd-*

(1) Stadium Pythicum, secundum Censorin. *de die Nat.* 13, fuit 500 pedum.

(2) Apud *Aeschyl Choeph. v.* 663, Orestes se *Dauliensem* esse simulat: quocum sane conveniret Sophoclis Paedagogus se a *Phanotensi* homine missum esse dicens. Quippe Daulis et Phanote, brevi spatio distantes, ad Parnassum sitae fuerunt.

(3) De Asia poëta antiquissimo, post Vossium, quaedam collegit Valckenaer. *Diatrib. VII. fragm. Antiopes p.* 58 *in not.*

ſtardtio citt. Sed ita *Panopides* aut *Phanotides* vel simile quid erit legendum, adeoque emendatione opus. Quaestionem igitur illam de Phanoteo doctioribus relinquo. Ex *v.* 1107. hoc sane patet Sophoclem Strophium non ignorare.

Quae igitur Sophocles de Orestis pueritia tradit, huc redeunt. A sorore Electra servatus fuerat Orestes et paedagogo traditus. Hic cum in Phocidem abstulerat, *v.* 1345, et quidem Crissam vel Crisam Phocidis urbem, *v.* 176. Crisae igitur degerat Orestes, ibique a paedagogo educatus erat, *v.* 13, Strophii, ut videtur, auspiciis, *v.* 1107. Apud Strophium autem, secundum Sophoclem, Orestem degisse, iam intellexit *Schol. ad Elect. princ.* et in *argum. fab.*

Apud EURIPIDEM vero, Orestes a patris vetere paedagogo Aegistho subductus, in Phocidem delatus, et Strophio educandus fuerat traditus, *El. v.* 15. *sqq.* Idem vero Strophius, qui ab Aeschylo, *Agam.* 854, Agamemnonis dicitur εὐμενὴς δορύξενος, apud Euripidem cum eo necessitudine coniunctus est, quippe eius συγγενής, *Orest.* 721. 1226: unde Strophii filius Pylades, *Orest.* 1388. *Iph. Taur.* 886, Orestis dicitur consobrinus ἀνεψιός, *Iph. Taur.* 888. Strophius enim Atrei filiam uxorem duxerat, *ibid* 887.

AEGISTHUM, post Agamemnonis caedem, Clytaemnestram duxisse, regnumque occupasse tragici consentiunt, *Choëph. v.* 131. 302, Soph. *Electr.* 261. *sqq.* 580, Eurip. *El.* 12. *sq.* 317 *sqq.* Quod ad

 tem-

tempus attinet, quod Aegisthus Argis imperium tenuit, in eo Homerum sequitur Euripides, qui Menelaum refert post Troiae excidium septem annos in variis regionibus errasse, *Helen.* v. 776, quo tandem praeterlapso tempore, eum in patriam post Orestis facinus rediisse, *Orest.* v. 53. Menelaum in reditu fluctibus ventisque ab Agamemnone disiectum fuisse narrat etiam Aeschylus, *Agam.* 610 *sqq.* 660 *sqq.*

Sequitur ORESTIS paternam caedem ulciscentis historia, fabularum nostrarum argumentum. Hanc cyclici poëtae et antiquissimi historici narrantes, non videntur nisi summatim retulisse, adeo ut multa quae ad modum, quo res peracta fuerit, pertinent, proprio ingenio debuerint tragici, eaque diverse invenerint, exposuerint, ornarint: nisi in hoc ipso iam alii iis antecesserunt, uti Stesichorus in Orestia; de quo, deperditis tot veterum poëtarum scriptis, recte iudicare non possumus. Pertinent igitur huc apud tragicos scenae apparatus, Chori constitutio, Apollinis oracula, Electrae habitus et miserrima conditio, quae apud Aeschylum *Choëph.* v. 438 *sqq.* significantur tantum, apud Sophoclem vero et Euripidem, totius fabulae sunt argumentum. Tum fratris et sororis agnitio: inferiae Agamnonis Manibus in sepulcro oblatae: apud Aeschylum, *Choëph.* v. 520 *sqq.* et Sophoclem, *El.* v. 410 *sqq.* Clytaemnestrae somnium: apud eosdem, *Choëph.* v. 663 *sqq.* et *Elect.* v. 673 *sqq.* de Orestis morte ficta narratio; Orestis dolus, quo

apud

apud Aeschylum, *Choëph.* 663., et Sophoclem, *El.* 45. 1103, se Phocensem esse simulans, ingressum in paternas aedes parat; apud Euripidem vero, *El.* 785, se Thessalum esse dicens ad Alpheum tendentem, Aegistho obvius factus, eum occidendi occasionem nanciscitur. Tum Clytaemnestrae mortem effugere conantis preces. Tandem apud Aeschylum, *Ch.* 967 *sqq.*, coram populo se defendens Orestes; apud Euripidem, *El. v.* 1239 *sqq.*, Castoris et Pollucis oratio.

Orestis historiam ulterius etiam persequuntur AESCHYLUS et EURIPIDES. Hic eum narrat a Furiis agitatum Athenis Areopagi iudicio absolutum esse; neque sic tamen a Furiis plane liberatum, priusquam Tauricae Dianae signum surripuisset, illudque Apollinis iussu Athenas detulisset, *Iph. Taur. v.* 909. *sqq.* Deinde vero eum, Neoptolemo interfecto, Hermionem uxorem duxisse, et paternum regnum recuperasse: quo pertinet *Andromache* tragoedia. Aeschylus vero Orestem matre caesa Delphos ad Apollinem profugisse refert, *Choëph. v.* 1032, indeque eum profectum, a Furiis actum, multas terras vagum peragrasse, *Eum. v.* 75. *sqq.* Athenas denique eum venisse, ibique Areopagi iudicio absolutum, in bona sua et regnum paternum restitutum esse, *Eum. v.* 725. *sqq.* Quare nonnulla hic de *Furiis* apud poëtas nostros subiicienda sunt.

Ipsum Areopagi iudicium, et Erinnyes Orestem persequentes in scenam produxit AESCHYLUS, quod

nec Sophocles fecit, nec Euripides, quo pertinet locus *Schol. Aesch. in Argum. Eumen.* Furias autem ita effinxit pater tragoediae, ut nihil, quod horrorem movere possit, praetermisisse videatur. Noctis filiae, *Eum.* 312. 394, Deae vetulae, et nuptiarum expertes, Diis simul et hominibus invisae, *Eum.* 69, caedium atrociorumque scelerum auctores persequebantur, *ib.* 177. *sqq.*, nec nisi mortuos deserebant. *ib.* 401. In Tartaro Orcique tenebris, procul a Deorum coetu, sub terra degebant, *ibid.* 69 *sq.* 363. *sqq.* Candidas vestes gerere iis interdictum erat, *ib.* 332; sed nigris induebantur. *Choëph.* 1045. *Eum.* 52. 55. 353. Harpyis similes, nisi quod alis carebant, adspectu foedo et terribili, gravi halitu, ab oculis sanguinem et tetrum virus destillabant. *ibid.* 51. *sqq. Choëph.* 1054. Serpentibus implicatae, *Choëph.* 1045, criminis reum indefesso pede insectabantur, eiusque sanguinem exsugebant. *Eum.* 175. 256. 292. Ad Furiarum scenicum habitum pertinent duo loci memorabiles, alter *Strabonis*, *Lib. III.* de Cassiteridibus insulis agentis, cuius incolas refert eodem amictu uti, quo Eumenides in scena: alter *Diogenis Laërtii*, in *Menedemo Cynico*, quem philosophum narrat Erinnyum veste et scenico ornatu processisse, dicentem se ex Orco venisse, ut vitia et scelera inspiceret. Ex locis igitur iis ad Furiarum habitum pertinuerunt tunica nigra ad talos demissa: cingulum rubrum, vel ex virgis constans: pi-

leus

leus Arcadicus capiti impositus, duodecim horas (1) intextas habens: cothurni: promissa barba (quam Menedemum gessisse facile credo, sed non Eumenides): virga denique fraxinea manu gestata. Ceterum hanc rem omnem illustravit *Böttigerus*, in libello *Die Furienmaske*. Aeschylus vero, teste *Pausania L. I. c.* 28. §. 6, primus Furiarum crines serpentibus implicitos esse finxit: neque enim Dearum istarum, neque aliorum etiam inferorum numinum simulacra, quae in Severarum Dearum templo, prope Areopagum, Athenis conspiciebantur, quidquam terribile, φοβερὸν, prae se ferebant. Nullo tamen apud Aeschylum loco faces memorantur, quibus Furiae apud tragicos armari solebant. Ita apud *Aristoph. Plut. v.* 423. de *Paupertate* dicit *Blepsidemus*:

Ἴσως Ἐρινύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·
Βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.

Cui respondet Chremylus:

Ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας.

Quod sane a tragicis poëtis frequentatum, ita receptum fuit, ut de Furiis sine taedis veteres fere non cogitaverint. *Virg. Aen. IV.* 471:

agi-

(1) Vel duodecim signa Zodiaci, ut interpretatur Menagius, ad *Diog. Laërtii l. l.*

» agitatus Orestes
» Armatam facibus matrem et serpentibus atris
» Quum fugit."

Quod etiam apud Ciceronem legas, *De Legg. I.* 14: » Poenas luunt non tam iudiciis, quam ut » eos agitent insectenturque furiae, non ardentibus » taedis, *sicut in fabulis*, sed angore conscien- » tiae, etc." Eadem habet, qui Aeschylum in iis quae ad Eumenides pertinent secutus est et imitatus, Ennius in *Alcmaeone*, apud *Cic. Acad. IV.* c. 28.

» Caeruleae incinctae igni incedunt,
» Circumstant cum ardentibus taedis."

Atqui ipsum Aeschylum Eumenidum chorum in scenam protulisse facibus instructum, auctor est *Schol. Arist. ad l. l.*, Aristophanem h. l. ad Aeschyli tragoediam respicere dicens. In ea tamen, quam habemus, *Eumenidum* fabula, faces choro nullas fuisse demonstrat Böttiger. *die Furienmaske. p. 48. sqq.* Rem expedit Boeckhius, *Graecae tragoed. Princip. num ea etc. c. IV. p. 44.* Duae scilicet fuerunt Eumenidum tragoediae editiones. In secunda, quam habemus, editione, poëta Chori numerum imminuit, nonnulla mutavit, multa ad Erinnyum terribilem adspectum pertinentia suppressit, interque ea taedas etiam, quas in priore editione gerebant. Cum primum acta fuit fabula, cecidit: deinde vero, ab Aeschylo prudentius et di-

diligentius retractata, cum Agamemnone, Choëphoris, et Proteo satyrico, victoriae praemio ornata est.

De Oreste Furiis agitato, deque Areopagi iudicio, aut insequente eius historia nihil tradit Sophocles. Orestis facinus nude exponit, neque illud aut defendit aut excusat. Quin potius spectatorum oculos ab Oreste avertere voluisse videtur, Electram suam iis offerens, in eamque omnia convertens. Furias igitur et quaecunque ad Orestis scelus pertinerent, studiose removit et praetermisit. Praeterea cum Sophoclis ingenio, pulchra tantum quaerente, non conveniunt Erinnyum istae horrorem cientes imagines, unde locis illis, quibus eas memorat, nullo eas profert terribili habitu insignes. Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι dicuntur, *Oed. Colon. v.* 40: quin etiam γλυκεῖαι παῖδες ἀρχαίου Σκότου. *ibid.* 106: sic etiam σεμναί θεῶν παῖδες, *Elect. v.* 112. *Ai.* 828. Vocantur porro αἱ ἀεὶ παρθένοι, *Ai.* 826, omniaque hominum facta adspicere dicuntur, *Ai.* 827. *Oed. Col.* 42. Eorum munus erat ut iniuste caesos ulciscerentur, *Elect.* 113. *Ai.* 826. *sqq.* Propterea eas magna veneratione prosequebantur homines, earum nomen pronuntiare cavebant, easque submissa voce colentes linguis favebant, *Oed. Col.* 126. *sqq.* Operae pretium est animadvertere quam diversus ab Aeschylo in *Eumenidibus*, sit Sophocles in *Oedipo Coloneo*. Ibi enim in loco Furiis sacro ipsis quasi praesentibus res agitur, nec quidquam tamen dicitur, nisi quod suave, dulce, pulchrum sit, et venustum. Aeschylus metum, admirationem, terrorem movere studet: Sophocles sublimis est et simplex, lenis, ele-

elegans, nobilis. Si quis quam diversi a se invicem sint poëtae illi, insigni exemplo colligere velit, is legat apud Aeschylum Furiarum in *Eum.* 296. *sqq.*, ὕμνον δέσμιον, et Sophoclis in *Oed. Colon.* chorum, ubi Colonum canit poëta, *v.* 664. *sqq.*:

Κολωνὸν, ἔνθ'
ἁ λίγεια μινύρεται
θαμίζουσα μάλιστ' ἀη-
δὼν χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις,
τὸν οἰνῶπ' ἀνέχουσα κισ-
σὸν καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνήλιον,
ἀνήνεμόν τε πάντων
χειμώνων. κ. τ. λ.

Cum locis illis conferri potest etiam Euripidis chorus in *Oreste v.* 306. *sqq.*:

αἶ, αἶ, αἶ,
δρομάδες ὦ πτεροφόροι
Ποτνιάδες θεαὶ,
ἀβάκχευτον αἳ θίασον ἐλάχετ' ἐν
δάκρυσι καὶ γόοις,
μελάγχρωτες Εὐμενίδες. κ. τ. λ.

Scilicet Aeschylum magis quam Sophocles secutus est Euripides, sed ita tamen ut in multis ab eo differat. Ea enim, quae ad Erinnyum tristem habitum referenda sunt, a tragoediae patre magna ex parte mutuatus est. Apud eum Furiae facti san-

sanguinis ultrices, *Or.* 313, Orestem ita persequuntur, ut eum lecto adflictum tabefaciant, *ib. v.* 36, vocanturque αἱ κυνώπιδες γοργῶπες, ἐνέρων ἱέρειαι, δειναὶ θεαί, *ib.* 250: quae cum Aeschyleis satis conveniunt. Non tamen ipsae Eumenides in scenam procedunt, sed Orestes eas solus videre fingitur, earumque adspectu subita et vehementi mentis agitatione corripitur, *Or.* 245:

ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας·

Atque haec Euripidis ratio excultiorem artem declarat, Aeschylea vero rudiorem. Animadvertere autem licet idem nostris temporibus factum esse. Quum enim Anglicae tragoediae pater, in multis cum Aeschylo comparandus, Shakspearius, non tantum in *Macbeth. Act. III. Sc. IV*, sed maxime etiam *Hamlet. Act. I. Sc. I. Sc. IV. etc.*, mortuos Orco excitasset, eosque in scenam produxisset, Gallice iam conversae tragoediae illae nullam mortui imaginem spectatorum oculis offerunt; sed histrio eam videre fingitur. Nec negari potest hanc rationem, modo partes illae bene agantur, maiorem terrorem excitare. Sed non hoc tantum Euripidi propositum fuit, ut scenicam artem novo invento ornaret, verum ea mente qua Cicero libere et sapienter dixit, *Or. in Pis. c.* 20: » Nolite enim putare, —
» ut in scena videtis, homines consceleratos impul-
» su deorum terreri Furiarum taedis ardentibus.
» Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus,

„ sua audacia de sanitate ac mente deturbat." Eademigitur poëta philosophus, veteres superstitiones, aniles saepe, philosophiae ope exstirpandas esse censuit: inter quas quum nonnullas videret, in quibus reconditus sensus latebat, hunc civibus suis offerre statuit, ut recepta simplici uniceque vera, quam sapientia suadebat, ratione, veteres traditiones, religione sancitas, fabulosas esse ipsi agnoscerent. Probe enim sciebat hanc esse hominum naturam, ut iis nullam, sive de Deorum aut rerum natura, sive de alia quacunque re, opinionem eripere possis, nisi aliam recipere iis persuadeas. Aeschylus Furias in scenam inducens illam firmaverat opinionem, esse eiusmodi Deas, quae scelerum auctores taedis, serpentibus, omni terriculamentorum genere persequerentur. Nullas esse Furias dicere Euripides ausus non est, sed eas a scena removit: tum vero Orestem ita agitatum exhibuit, ut non adeo Erinnybus, quam matris eum persequentis imagine, adeoque conscientiae stimulis, terreri videretur, *Or*. *v*. 36:

> *τὸ μητρὸς δ' αἷμά νιν τροχηλατεῖ*
> *μανίαισιν.*

Eadem matris mentio *v*. 245. Matrem etiam ei praebent Furiae in *Iphig*. *Taur*. *v*. 279. Denique quod revera sentiebat, sed Atheniensibus aperte declarare non audebat, in transitu quasi, unico versu significavit. Menelao enim roganti quid sit quod Ore-

Orestem excruciet, *Or.* v. 385, *τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;* — respondet Orestes:

ἡ ξύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.

Quodsi haec cum Aeschyleis conferuntur Furiis, Deabus vetulis, invisis, odiosis, nigris, in Orco habitantibus, sanguine stillantibus, Orestem in scena persequentibus, Euripidis ratio simplicior, verior, pulchrior videbitur.

CAPUT II.

DE TRIUM FABULARUM UNIVERSA COMPOSITIONE.

§. 1.

De Aeschyli Choëphoris.

Aeschyli Choëphori sunt quasi secundus actus magni dramatis, quod, Orestiae nomine celebratum, Agamemnone Choëphoris et Eumenidibus constat (1). Quae nobilissima trilogia, qua argumenti perpetuitas continetur, quum, maximo literarum emolumento, ad nostra tempora pervenerit, eius singulae partes, id est fabulae, non tantum quae-

(1) Cf. *Schlegel. Dram. Kunst. u. Litterat. I. p.* 141. *Ed.* 2. Qui tamen hoc loco, et *III. p.* 186, minus recte Aeschyli exemplo Shakspearii tragoediarum seriem historicam defendere conatur. Aeschyli enim trilogia eodem die exhibita est; sed Shakspearii dramata historica, etsi arctissimo vinculo coniuncta, nunquam una auditione acta fuerunt.

quaeque per se considerari debent, sed in primis etiam ad universi operis rationem exigendae sunt. Aliud enim Aeschylo consilium fuit, aliud Sophocli et Euripidi (1). Quare, ne inique de tragoediae patre iudicemus, necessitudo animadvertenda est, cuius vinculo tragoediae illae tam arcte continentur, ut fere separari nequeant. Nam primum *Agamemnonis* argumentum ipsum eiusmodi est, ut, nisi hanc tragoediam cum Choëphoris coniungas, improbi victoria sceleribus parta frui videantur: quod recte reprehendit Aristoteles, *A. P. c. XIII*: *οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν.* Atque hoc est quare nonnullis huius fabulae locis Orestis iniicitur mentio, futuri paternae caedis ultoris: cf. *Agam. v.* 1253. *sqq.* 1290. *sqq.* 1517. *sq.* 1544. *sqq.* 1630. *sq.* 1652. In *Choëphoris* autem multa ad fabulae intelligentiam desiderantur, quae ex Agamemnone petenda sunt, v. g. quae *Choëph. v.* 484. *sq.* et 975, traduntur de modo quo interfectus erat Agamemnon, explicari debent ex *Agam. v.* 1080. 1100. 1355. Praeterea huius quoque tragoediae finis, quo Orestes facinore perpetrato a Furiis agitari incipit, significatque se Delphos profugere velle, *v.* 1032, ita comparatus est, ut fabula aptum exitum non habeat, nisi maternae caedis auctor, *facto pius et sceleratus eodem*, a Furiarum taedis ardentibus liberetur: atque sic ad tertiam tragoediam transitus pa-

(1) Cf. *Hermann. Praef. ad Electr. Soph. pag. IX.* in *Edit. Erfurdt. Min. Vol. IV.*

paratur, in qua Deorum interventu absolvitur. *Eumenides* denique, nisi tanquam ultima huius trilogiae pars spectantur, ad laudes tantum Athenarum, Areopagique institutionem celebrandam compositae esse videri possint. Tota igitur Ὀρεστεία uti una auditione (1) acta fuit, ita singulae eius partes arctissime inter se cohaerent: quod non tantum de tragoediis illis observandum est, sed latius etiam patuit. Aliena enim si cui videantur quae in *Ag. v.* 603. *sqq.* de Menelao quaeruntur, et narrantur, is bene adtendat post fabulas istas (fuit enim tetralogia) actum fuisse *Proteum* drama Satyricum, quo pertinent in *Agamemnone* Menelai mentio et futuri adventus significatio, *ib. v.* 660. *sqq.* (2).

Necesse est igitur ut, antequam ad ipsas Choëphoros fusius exponendas pergam, paucis totam trilogiam persequar, atque ostendam quemnam Choëphori locum in maiori isto opere teneant, et quaenam inter ipsas et Agamemnonem Eumenidesque intercedat necessitudo.

Poëta quum in animo haberet domus Agamemnoniae canere calamitates, in ipso AGAMEMNONE virum exhibuit a summo gloriae, opum, et potentiae fastigio deturbatum.

Σι-

(1) De numero tragoediarum quae una auditione agi solitae fuerint, vid. *Wolf. Prol. ad Hom. p.* 110. et *Hermann. ad Arist. A. P. c. XXIV.* 5. Aeschyli autem hanc tetralogiam una auditione exhibitam esse disputat *Boeckh. Trag. Gr. Princip. cet. cap. IV.*

(2) Vid. *Boeckh. l. l. p.* 268.

Σέβας δ' ἄμαχον, ἀδάματον, ἀπόλεμον τὸ πρὶν,
δι' ὤτων φρενός τε
δαμίας περαῖνον,
νῦν ἀφίσταται *Ch. v.* 53:

Quare in tragoediae initio Chorus bellum canit Troianum, et quo apparatu quibusque auspiciis susceptum fuerit exponit. Magis etiam illa magnitudinis cogitatio augetur Praeconis narratione, qua Troiae excidium refertur; ipsiusque regis adventus nuntiatur.

Τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον
Ἄναξ Ἀτρείδης πρέσβυς εὐδαίμων ἀνὴρ
Ἥκει, τίεσθαι δ' ἀξιώτατος βροτῶν *Ag. v.* 515.

Ipse denique Agamemnon ingreditur talis qualis in Homericis carminibus celebratur, vel maior etiam. Consilio atque prudentia, opibus, copiis, fortitudine, potentia, nominis fama clarus, rex regum, cui omnes paruerant, decimo tandem anno bello, ab universa Graecia coniunctis viribus suscepto, ad finem feliciter perducto, Troiaque funditus deleta, totius Graecorum exercitus dux, Mycenarum et Argi princeps, domum redux, ad summum gloriae et felicitatis fastigium pervenisse videtur. Sed Cassandrae vaticinia (1) obscure primum, dein apertius hu-

(1) Scena illa Cassandrae et Chori sine dubio inter pulcherrima Aeschyli loca referri debet. Quum eo usque omnia comparata sint ad Agamemnonem efferendum; non statim ad eius eae-

huius magnitudinis instantem eversionem significant, auditorumque animos horrore perfundunt, dum Furiarum chorum inde a coena Thyestis (1) Pelopidarum aedes non reliquisse declarant. Mox eiusdem Agamemnonis letali vulnere percussi audiuntur clamores, iacetque rex ille regum, non ὑπὸ Τρωΐας τείχεσσι φθίμενος, nec παρὰ Σκαμάνδρου πόρον, sed mulieris scelere domi interemtus, contemtus, vix sepulturae honore dignatus, amicorum auxiliis destitutus, atque interfectorum suorum contumeliis probrisque expositus: eiusque regnum securus occupat adulter, atque liberi patre orbi exsilio et servituti obiiciuntur. Nec filius adest qui patrem aut iuvet aut ulciscatur; sed ad Strophium Phocensem missus Orestes, nomine tantum suo futuraeque ultionis metu matrem et Aegisthum conterret:

Ὀρέστης ἄρά που βλέπει φάος,
Ὅπως κατελθὼν δεῦρο πρευμενεῖ τύχῃ,
Ἀμφοῖν γένηται τοῖνδε παγκρατὴς φονεύς; *Ag.* v. 1630.

Sed iustitia divina, quae nulla praetermittit scelera, si lento gradu incedit, graviore dein impetu irruit. Hoc est CHOËPHORORUM argumentum quod in ipsa tragoedia variis locis significatur:

Po-

caedem poëta progreditur; sed suspenditur actio. Locus ille, quo anxietas et metus excitantur, et sensim augentur, comparari potest cum alto silentio isto, quod magnas coeli perturbationes, tonitrua, fulguraque, et terrae motus praecedere solet.

(1) De verbis πρώταρχον ἄτην, *Ag.* v. 1165, monui *Cap.* I. §. 2. p. 62.

> Ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκαν (1),
> ταχεῖα τοῖς μὲν ἐν φάει,
> τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου,
> μένει χρονίζοντα βρύει. *v.* 59. Cf. *v.* 376.

Et Agamemnonis caedes, eiusque *cruor congelatus neque evanescens*, cf. *v.* 65, ultionem provocabat.

> Ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
> πληγὴν τινέτω. δράσαντι παθεῖν,
> τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ. *v.* 310.

> Ἀλλὰ νόμος μὲν, φονίας σταγόνας
> χυμένας ἐς πέδον, ἄλλο προσαιτεῖν
> αἷμα. βοᾷ γὰρ λοιγὸν Ἐρινὺς
> παρὰ τῶν προτέρων φθιμένων ἄτην
> ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ. *v.* 394.

Agamemnonis sepulcrum in ipsa scena conspicuum, patris memoria atque dirae, Apollinis iussa Orestem ad hanc ultionem excitant: qui pietate erga patrem ad matrem necandam adigitur, et, vix peracto facinore, a Furiis agitatus Delphos profugit.

Nec tamen spectaculum illud filii, qui patris amore matris sanguine manus polluisset, et obsequio erga Deos Deorum in se contraxisset iras, qui ab ipsis Furiis ad scelus excitatus esse videretur, nec tamen scelerum ultrices Deas potuisset effugere, au-

(1) Ita enim δίκαν et mox χρονίζοντα restituit Wellauer, quem sequi soleo, nisi si quando alia lectio magis placet.

auditorum animos eo pulchri sensu afficere poterat, quem bene ordinata tragoedia excitare solet. Quare magnae illi et anxiae exspectationi, quae, prioribus fabulis mota, nullum tantis facinoribus exitum inveniret, satisfaciendum esse EUMENIDIBUS statuit poëta. Quum vero homines, ut Polygnotus meliores pingebat (1), ita Aeschylus maiores, quam re vera sunt, in scenam produxisset, atque factum cecinisset inauditum, scelus horrendum, sed oraculorum iussis, insigni pietate, et animo misera orbitate exsilio contumeliis exacerbato, excusandum; non poterat tantum facinus mortalium iudicio committere, nec, postquam sublimis in altum sese extulisset, in terras descendere, et ad hominum cogitationes, curas, animique perturbationes relabi. Huc usque homines tantum, magni quidem illi, sed homines tamen rem egerunt. In *Eumenidibus* vero scenae locus non Argis, sed Delphis, non ad Agamemnonis sepulcrum, sed in Apollinis templo constituitur, indeque Athenas transfertur: atque divina illa fabulae maiestas Palladis templi Areopagique spectaculo augetur: quumque homines tantam rem ad exitum perducere posse non viderentur; quippe,

> Τὸ πρᾶγμα μεῖζον εἴ τις οἴεται τόδε
> βροτοῖς δικάζειν·

ipsa inducuntur Deorum numina quae causam agant,

(1) Vid. *Arist. Art. P.* c. II. 2.

agant, sententiamque ferant. Umbra Clytaemnestrae, id est perpetratum facinus vindictam exposcens, Furias, i. e. sceleris conscientiam, somno excitat. Apollo, tanquam luminis scientiarum artiumque Deus, Eumenides, Noctis filias atras Deas, templo suo expellit, odioque prosequitur. Idem Apollo, cui iuventus, fervor iuvenilis, et generosa audacia tribuuntur, et antea facinoris suasor exstiterat, et nunc Orestem ope et consilio adiuvat. Areopagus, i. e. iustitia, pari suffragiorum numero, ultionis paternae laudem materna caede non exstingui, neque hanc illa excusari decernit. Minerva denique, i. e. divina sapientia, clementiae partes tuetur, et albo adiecto calculo litem dirimit, atque sola Eumenidum furores moderatione sua temperare et sedare potest (1).

Haec est summa Orestiae illius, quae tantis se commendat dotibus, ut maturi ingenii aetatisque provectioris opus facile agnoscas. Eam enim iam senex factus Aeschylus conscripsit (2), id est eo tempore, quo non propriis tantum, sed Sophoclis etiam aliorumque inventis uti potuit. Praeterea hanc trilogiam, quae victoriae praemium retulit (3), ab ipso poëta ante mortem suam diligentius retracta-

(1) Cf. *Schlegel. Op. l. I. p.* 139—158, qui universam Orestiae rationem singulari acumine explicuit. Add. *F. G. Welcker. Die Aeschylische trilogie Prometh. cet. p.* 445—452.

(2) Vid. *Schol. in Arg. Agam.* cf. Stanlei. *Comm. ad Aeschyli vitam p. XX. Ed. Schütz.*

(3) Cf. *Schol. Aesch. l. l.*

tatam habere videmur (1). Atque si quaedam in ea praetermittamus, quae ad Aeschyli ista saepius reprehensa *ῥήματα ἱπποβάμονα* pertinent, et propter quae tragoediae patrem *ἄνθρωπον κομποφακελοῤῥήμονα* facete magis quam vere apud Aristophanem dicit Euripides (2): si haec inquam tragicae artis initiis condonemus, satis mirari non possumus quanta arte omnia disposuerit et ordinaverit, quam apta sint quaeque temporibus locis et personis, quam ingeniose cuncta excogita, quam vere expressa, quam bene comparata singula ad exspectationem, misericordiam, indignationem, et vero metum et terrorem commovendum, aut pulchri honestique sensum excitandum.

Huius igitur trilogiae medium locum tenent *Choëphori*, cum ob argumenti gravitatem, ipsiusque fabulae compositionis simplicitatem, tum ob sublimem illam in singulis partibus et vere Aeschyleam dignitatem, neque *Agamemnoni*, neque *Eumenidibus* postponendae: ad quas uberius exponendas iam accedendum est.

In CHOËPHORIS res Argis agitur. In ipsa scena regiae Agamemnonis aedes conspiciuntur, atque ante eas posita Apollinis statua (3). In antica scenae par-

(1) Vid. Boeckh. *Trag. Gr. princ. c. IV.*

(4) Vid. *Ran. v.* 839, 863.

(1) Wellauero quidem adsentior, *v.* 576 non opus esse Schützii emendatione, τουτῳ in Φοῖβον mutantis; sed nolim cum eodem versum 544 etiam ad Apollinem referre, quippe quo loco Chorum potius adloquitur Orestes. Si Aeschylus id voluisset,

parte Agamemnonis sepulcrum spectatorum oculis subiicitur, ita ut ipso iam scenae ornatu poëta totius tragoediae argumentum exponere voluisse videatur, Agamemnonis scil. caedem inultam, et Apollinis oracula, quorum iussu ad matrem necandam incitatur Orestes. Res autem ipsa brevi temporis spatio ad exitum perducitur. Quod vero Schützius, *in notis ad Choëphoros. p.* 5, scribit: »Actio *mane* » incipit, paucisque horis absolvitur, *nullibi* tamen » diei partibus diserte notatis:" hoc a tanto viro dictum nolim. Non sane *primo diluculo* hic, ut in Sophoclis Electra, actio incipere videtur: quod, etsi non expressis verbis significatur, ex ipsa fabula confici potest, in qua nonnullae res hoc ipso die iam accidisse finguntur: v. g. Clytaemnestra somnio perterrita somniorum interpretes arcessi iusserat, *v.* 37. *sqq.* Minus etiam verum est diei partes nusquam notari. Imo tribus locis manifesto significantur. Orestes regias aedes ingressurus servo haec dicit, *v.* 649:

Τά-

set, quod contendit Wellauerus, vocem σέ in versus ordinatione ita posuisset, ut non elideretur. Quippe eo sensu debuisset illud σέ cum emphasi quadam pronuntiari, quod elisio non sinit: » *Te*, Apollo, augurem sumo." Animadvertendum est praeterea parum Apollini convenire τερασκόπον: nam homines potius sunt portentorum interpretes: et hoc sensu vox illa legitur apud *Eurip. Bacch. v.* 229, ubi *Tiresias* dicitur ὁ τερασκόπος. Ceterum Apollinis statuae mentio fit etiam *v.* 1055.

Τέχνην δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἄρμ' ἐπείγεται
Σκοτεινόν, ὥρα δ' ἐμπόρους μεθιέναι
Ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων.

Et paulo post Clytaemnestra hospites excipiens, v. 699:

Ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους
Μακρᾶς κελεύθου, τυγχάνειν τὰ πρόσφορα.

Nec tamen illud νυκτὸς ἄρμα nimis premendum est, quippe ex iis, quae deinde v. 980 leguntur, patet hic vesperam tantum intelligi. Quo loco Orestes matris scelerum testem advocat *solem*:

ὡς ἴδῃ —— ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς·
Ὡς ἂν παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ.

Actio igitur ante meridiem incipere, et ad vesperam concludi videtur.

Orestes qui, dum Troiam Graeci obsidebant, a matre Clytaemnestra Strophio Phocensi educandus fuerat traditus, praeterlapsis aliquot annis, Argos revertitur, ut patris necem ulciscatur: ibique luctus significandi causa abscissas comas, πλόκαμον πενθητήριον, Agamemnoni dicat. Cum Pylade igitur Orestes in scena conspicuus prologum agit. Mercurii primum inferni auxilium precatur, interfectique patris Manes invocat ipsius sepulcro insidens.

Su-

Supervenientem vero mulierum catervam videns, interque eas sororem Electram, cum Pylade paululum recedit, quo melius quid agatur audiat, postquam ultionis consilium significavit:

> ὦ Ζεῦ, δὸς με τίσασθαι μόρον
> Πατρὸς, γενοῦ δὲ σύμμαχος θέλων ἐμοί.

Procedit iam cum Electra ex aedibus Chorus constans ex mulieribus grandaevis, *v.* 169, bello captis, *v.* 75, atris vestibus indutis, *v.* 11, quippe quae inferias ad Agamemnonis Manes placandas ferunt. Chorus carmine antistrophico adventus sui causam declarat, ac Clytaemnestrae somnium, quo exterrita inferias, χάριν ἄχαριν, Agamemnoni mittere decreverit. Deinde, tamquam futura praesentiens, Agamemnonis caedem luget, iustitiamque divinam Clytaemnestrae imminere suspicatur; neque enim sanguinem in terram profusum evanescere. Propriam denique calamitatem deplorat, quod, propter servilem conditionem, omnia dominorum facta, sive iusta sive iniusta, laudare, et iram indignationem lacrymasque suas celare cogatur.

Electra vero dubia et incerta quasnam preces quibusque verbis effundere debeat, neque enim se haec dona

> παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν
> Γυναικὸς ἀνδρί,

Chorum obtestatur ne cuiusquam metu veram animi sententiam profiteri dubitet, sed ut ipsam consi-

his suis adiuvet, atque doceat quid fas sit, quid pietas iubeat. Huius monitis obtemperans, sibi et Oresti salutem precatur: huic felicem etiam in patriam reditum, utque hostibus suis superstites evadant; Clytaemnestrae vero et Aegistho, ut ultrix iustitia (1) eos persequatur, et caedem pro caede inferat: Choroque hymnum lugubrem canente, libationes in tumulo effundit. Inferiis autem vix peractis, Electra abscissum cincinnum pedumque vestigia terrae impressa conspicit, atque varia mentis agitatione perturbata ad Chorum sese recipit. Sperat enim, et metuit simul ne vanae spei indulgeat. Nec tamen ipsius sunt comae, nec Clytaemnestrae profecto aut Aegisthi, neque credere denique potest aliquem civium ausum fuisse Agamemnonis sepulcrum honorare. Atque rei auctorem frustra quaerens, in eam cogitationem incidit, num forte sint fratris sui Orestis comae, ab ipso missae. Quam tamen spem nec toto animo amplecti audet, nec plane reiicere potest: cumque anxia et dubia animo fluctuat, ex latebra procedens supervenit Orestes, statimque se eius fratrem esse Electrae significat: cui etiamnum dubitanti vestem ostendit, quam ipsa olim a se textam fratri dono dederat. Sublata igitur omni dubitatione, Orestes et Electra, laetitiae nimis indulgentes, a Choro, prudentiae partes tuen-

(1) Φανῆναί — τιμάορον — δίκην, v. 141. Ita enim Wellauerus, recepta Hermanni coniectura ἀντικατακανεῖν, vulgatam lectionem, δίκην, egregie tuetur.

tuente, admonentur ut depressa potius voce loquantur, sibique caveant ne quis rem ad dominos referat. At vero Orestes, non tam propriis viribus, quam maiori auxilio confidens, respondet:

Οὔτοι προδώσει Λοξίου μεγασθενὴς
Χρησμός.

Rationes dein exponit quibus ad patriae caedis ultionem excitatur: iussa sc. Apollinis, eiusdemque minas: tum vero luctum ob Agamemnonis mortem, et τὸν χ ὀρωμένην πατρὸς μῆνιν: denique quod ipse bonis suis spoliatus, Argivos, Troiae nobilissimos eversores, talium dominorum imperio subiectos videat.

Sequitur iam pulcherrimum illud carmen antistrophicum (1), quo Orestes et Electra miserandum patris fatum deplorant, et, alternis vicibus canentes, ad ultionem sese excitant, atque patris Deorumque auxilia precantur: quoque Chorus eos excipiens, sapienter monitis ipsorum nimium dolorem animique remissionem temperat et moderatur, felicisque exitus spe proposita, eos erigit, et eorum precibus suas preces subiungit. Conspiciuntur deinde frater et soror patris sepulcro insidentes, eum-

(1) Post Schützium, Hermannum, *Obss. Critt.* p. 79. sqq., et *El. Metr.* p. 736. sq., Erfurdtium, in *Annal. Heidelb.* 1809. *VI*, p. 285, aliosque, optime de hoc cantico meritus esse videtur Wellauer, qui illud in quinque systemata distribuit, cuiusque ratio, cum ob stropharum ordinationem personarumque distributionem, tum ob loci intelligentiam ceteris antecellit.

eumque et Deos inferos invocantes: quae scena optime comparata est ad auditorum miserationem commovendam.

Postquam vero luctu et lacrymis patris memoriam honoravit Orestes, causam anquirit, quare Clytaemnestra has inferias miserit; neque enim eiusmodi donis scelus expiari:

Τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ' αἵματος
Ἑνὸς, μάτην ὁ μόχθος.

Somnium igitur Clytaemnestrae exponit Chorus; eam scil. sibi visam esse draconem parere, qui uberibus admotus una cum lacte grumum concreti sanguinis educeret. Quod somnium tanquam omen accipit Orestes, seque hunc draconem fore declarat. Quo autem modo rem adgredi constituerit, deinde Choro indicat. Se igitur, quum dolum adhibere decreverit, peregrini habitu adsumto, viatorisque sarcinis oneratum, cum Pylade tanquam hospitem aedes regias aditurum esse, et linguae Phocicae sonum imitaturum: atque ita ianuae limine superato, Aegisthum, quam primum eum invenerit, letali vulnere percussurum. Chorum denique adhortatur ut prudenter, prout res postulaverit, vel sileat vel loquatur: et ipsius certaminis, eiusque felicis successus curam Apollini committit.

Oreste et Pylade ad rem parandam profectis, et Electra regias aedes ingressa, Chorus hominum audaciam cantico celebrat, inprimisque vim amoris, qui omnia superet, et ad quaecunque facinora viam

vitam sternat. Hoc firmat exemplo Altheae Thestii filiae, quae, ob fratrum necem, filio suo Meleagro causa mortis exstitisset. Deinde Scyllae etiam facinus memorat, quae Minoïs amore capta, eiusque donis corrupta, patri suo Niso illum capillum abstulisset, a quo vita eius penderet. Inde sese ad Clytaemnestrae amores, et eius in Agamemnonem scelus convertit, quod cum Lemnio facinore comparat. Ultimo denique loco significat diem tandem illuxisse quo divina Iustitia Agamemnonis filii manu ultionem persequetur.

Redit in scenam viatoris habitu adsumto Orestes cum Pylade, et ad regias aedes accedit, foresque pulsat. Famulum deinde sciscitantem unde veniat, dominis nuntiare iubet, adesse hominem, qui nova quaedam narraturus, cum ipsis colloqui velit. Superveniente autem ipsa Clytaemnestra, Orestes simulat se hospitem esse Dauliensem e Phocide, atque, cum Argos tenderet, in itinere obvium factum esse Strophio cuidam Phocensi. Hunc ipsi mandasse ut Argos Orestis mortem parentibus nuntiaret: se igitur hoc officio iam fungi, etsi nesciat utrum cum extraneis, an vero cum ipsis Orestis propinquis et aedium dominis loquatur. Cui fictae narrationi ut maiorem fidem addat, Electra simulatis lamentationibus luctuque fratris mortem prosequitur (1). Clytaemnestra vero, hoc nun-

(1) Animadvertendum est ultima haec esse Electrae verba, neque ullam amplius eius mentionem fieri. In Aeschyli enim

nuntio audito, neque insolentem laetitiam ostendit, quam animo potius recondit (cf. *v.* 727.), nec contra nimium fictumque luctum; sed, prout regiam dignitatem decet, viatores hospitio invitat, iisque offert quaecunque longo itinere fessis commoda sint.

Oreste et Pylade hospitalia, atque Clytaemnestra gynaeceum, ingressis, Chorus pro Orestis salute preces effundit, et Telluris, Agamemnonisque sepulcri, i. e. Deorum Manium, opem implorat. Mox vero Gilissam, Orestis nutricem, ex aedibus procedentem videns (2), mutato sermonis argumento, eam quo tendat, quidque tristi adeo vultu prodeat, interrogat. Respondet nutrix se a domina missam esse ad Aegisthum arcessendum, ut nuntium de Orestis morte ab hospitibus adlatum apertius et certius ab ipsis resciscat. Chorus autem Orestis moniti (*v*, 575.) memor, postquam audivit Clytaemnestram iubere Aegisthum armatis venire stipatum satellitibus, nutricem monet ne hanc mandati partem exsequatur; quod quo magis vetulae per-

enim fabula secundas tantum partes agit Electra. Quod autem Chori partes in fine fabulae, *v.* 1040. *sqq.*, universo loco non emendato sed plane mutato, Electrae tribuit Burges, *in Not. ad Eumenid. p.* 62; hoc quo consilio et quo iure faciat, ipse Burgesius viderit.

(2) Hos enim versus Choro recte tribuit Wellauer: Nec servum aliquem hic adesse, sed Chorum tantum et Gilissam, satis ex iis confici potest, quae Chorus in sequentibus nutricem monet.

persuadeat, neque Orestem periisse, nec rem desperatam esse subobscure significat: quibus monitis Gilissa obsecutura discedit.

Iam magis magisque imminente periculo, sequitur canticum, quo Chorus solenni modo Deorum auxilium implorat. Primum igitur ad Iovem Olympium se convertit, ab eoque precatur ut Orestem, ἀνδρὸς φίλου πῶλον, inimicis suis anteponat. Tum Deos Penates obtestatur ne, post Agamemnonis ultionem, inveterata caedes novas in posterum caedes pariat. Apollinem deinde et Mercurium adloquitur, eosque rogat ut Oresti victoriam tribuant, imperiumque paternum restituant. Ultimo denique loco Orestem adhortatur, ut patris interfectoribus non parcat, sed eius caedis tantum memor, forti et constanti animo ultionem persequatur.

Nuntio de Orestis morte accepto, nec satis ei fidem habens, advenit Aegisthus, atque, incertus verene obierit Orestes, an minus, metuit simul ne eiusmodi rumores civium suspiciones odiumque excitent. Quare a Choro admonitus rem ab ipsis hospitibus audire constituit.

Re in summum periculum adducta, Chorus anxio et perturbato animo ad preces iterum se convertit, Iovique certaminis curam committit; nunc enim necesse esse, vel ut domus Agamemnonia penitus intereat, vel ut civitas libertatem recuperet, et Orestes patris opes legitimumque imperium recipiat.

Mox vero Aegisthi intra aedes percussi audiuntur clamores, et Choro, ut ab horum malorum culpa im-

immunis esse videatur, paululum recedente, prorumpit famulus et ad gynaeceum festinat, ut reginae perpetratum facinus nuntiet.

Nec tamen in tanto periculo Clytaemnestram aut audacia aut vires deficiunt, sed talem se praestat qualis in Agamemnonem fuerat. Securim poscit, ut aut vincat, aut vincatur:

Εἰδῶμεν ἢ νικῶμεν ἢ νικώμεθα.

Sed oraculorum iussis et patris memoria excitatus, Aegisthique caede confirmatus, vindictae divinae imaginem referens, ex aedibus prosilit Orestes, atque stricto gladio matrem prehendit. Cuius minante vultu et verbis, Σὲ καὶ ματεύω, exterrita Clytaemnestra, et simul Aegisthum cecidisse audiens, non amplius armis se defendere conatur, sed fortunae se submittit, et Orestem precibus tantum delinire studet.

Matris vero adspectu motum Orestem, et animo fluctuantem Pylades confirmat memoremque facit Apollinis oraculorum, quibus omnia sint postponenda:

Ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.

Iubet igitur Orestes matrem ut ipsum in aedes sequatur: nec quidquam amplius aut metu aut miseratione movetur; sed precibus eius facinora in patrem et in se ipsum commissa, eiusque exsecrationi et minis patris diras obiicit, quae filium ad poenas

ab

ab impia muliere repetendas quasi praesentes incitare videntur.

Animadvertendum est fabulam hoc loco aptum exitum habere posse: quae enim sequuntur ab ipsius tragoediae proposito plane sunt aliena. Ne cui igitur in mentem veniat Aeschylum argumenti inopia laborare, et fabulam παρὰ δύναμιν παρατείνειν (1); hoc etiam loco monendum est, quod iam supra dixi, Orestiam universam spectari debere, nec de Agamemnone vel Choëphoris vel Eumenidibus recte iudicium ferri posse, nisi bene teneatur tragoedias illas non tantum per se considerandas esse, sed in primis etiam tanquam perfectae illius trilogiae partes, quae arctissimo vinculo continentur.

Poëta igitur si *Agamemnonem* tantum scribere voluisset, tragoediae finem imposuisset ipsa Agamemnonis morte; quae vero sequitur altercatio Chori et Clytaemnestrae Aegisthique, quae primo obtutu otiosa et aliena videri possit, ea, ipsa Clytaemnestrae insolentia Aegisthique superbia et iniecta futurae ultionis mentione, transitum parat ad *Choëphoros*, id est, ad vindictam divinam. Sic etiam quae in Choëphoris post Clytaemnestrae et Aegisthi necem leguntur, iam magis ad *Eumenides* referenda sunt. Quare in comparatione instituenda, ne iniquum de Aeschylo iudicium feratur, ille Choëpho-

(1) In hoc vitium non malos tantum, sed bonos etiam poëtas incidisse refert Aristot. *Art. Poët.* c. *X.* 5. ad quem l. cf. Hermann.

phororum finis in censum vocari non poterit, nisi universae Orestiae ratio habeatur.

Quae igitur in fabula nostra sequuntur brevissime tantum exponemus.

Oreste ad matrem necandam aedes ingresso, Chorus Agamemnonis ultionem celebrat, Iovisque filiam Iustitiam Oresti in re gerenda adfuisse declarat. Ultimo loco significat domum Agamemnoniam iam satis diu cladibus adflictam iacuisse, et tandem illuxisse diem, quo tot malis liberari debeat.

Iam aedium fores panduntur, et in lecto Clytaemnestrae Aegisthique cadavera conspiciuntur. Procedit Orestes, et acerbe eorum scelera et iustam cladem exagitat. Pallium deinde vel indusium illud in medium profertur, quo tanquam reti captus Agamemnon necatus fuerat: quod adstantibus Argivis ostendit Orestes, ut quomodo illud Aegisthi ensis confoderit omnes videant, et sanguinis maculas conspiciant etiamnum vestimento inhaerentes. Se autem iure matrem occidisse, solem omnia videntem Argivosque contestatur. Significat porro se Apollinis iussis ad hoc facinus excitatum fuisse, seque ramo et corona instructum, vagum et exsulem Dei templum petiturum. Furiis deinde maternis agitari incipit, Delphosque profugit. Chorus denique eum Apollinis curae committit, et varias aedium regiarum calamitates recenset, dubitatque utrum Orestem earum liberatorem, an vero novi sceleris auctorem dicere debeat, neque malorum finem invenit.

Ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει
Μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;

---

§. 2.

De Sophoclis Electra.

Ab Aeschyleae fabulae simplicitate iam multum recedit Electra Sophoclis, qui tragoediam suam splendidiore scenae apparatu, pluribus personis, earumque diversis et distinctis magis moribus, nodo maiori arte implicato, pluribusque ἐπεισοδίοις vel digressionibus ornavit. Atqui tot tantique viri iam de Sophoclis Electrae cum universa compositione tum singulis partibus dixerunt, eaque fabula omnibus adeo est notissima, ut fere eius descriptione supersedere possemus. Quum vero instituti nostri ratio postulet ut Sophoclis etiam Euripidisque Electram recenseamus, harum quoque tragoediarum summa exponenda est, quo melius diversa trium poëtarum ratio cognoscatur.

Sophoclem σκηνογραφίαν primum instituisse auctor est Aristoteles (1), et quousque haec ars Athenis iam statim creverit, ex ipsa hac fabula colligi potest: neque enim, nisi pictura iam magnum ali-

(1) *De A. P.* c. *IV*, 16.

aliquod fastigium attigisset, tot res eaeque tantae spectatorum oculis obiici potuerant.

Mycenis igitur ante regias Pelopidarum aedes res agitur: nec tamen, ut apud Aeschylum, Agamemnonis sepulcrum in scena positum est; sed paulo remotius illud ab aedibus esse fingitur. Ad laevam spectatorum lucus Ius, Inachi filiae, et forum Apollinis conspiciuntur, ad dextram Iunonis templum, *v*. 5—10: ante aedes posita est Apollinis statua, *v*. 630. *v*. 1375, et, ut videtur, ara. Actio matutino tempore, sub solis ortum incipit, et nihil impedita continuo perficitur. Chorus constat ex foeminis nobilibus, *v*. 127, et provectae iam aetatis, ut colligere licet ex *v*. 150. 169. *cet*. in primis *v*. 229.

Postquam Agamemnonem Troia reversum ex insidiis adorti interfecissent Clytaemnestra et Aegisthus, Oresti metuens Electra, eum clam subduxerat, et seni cuidam peregre educandum tradiderat. Hic igitur senex μόνος σωτὴρ δόμων Ἀγαμέμνονος, qui Orestem puerum olim Clytaemnestrae furori ereptum abstulerat et educaverat, eundem iuvenem in patriam reducit, ut patris necem ulciscatur. Primum ergo παιδαγωγὸς ille cum Oreste et Pylade in scenam procedit, Agamemnonisque filio Argivum agrum universum (1) ostendit, et singula obvia declarat. Monet

(1) Hermannum sequor, qui illud τὸ παλαιὸν Ἄργος, in quo haerent interpretes, non de urbe tantum *Argis* accipiendum, sed potius generale esse nomen censet, quo et ager Argivus, et urbs, et Mycenae comprehendantur. Quae probabilis videtur interpretatio.

net deinde amicos ut, antequam aliquis superveniat, consilium ineant, ipsamque rem adgrediantur. Memorat igitur Orestes Apollinis oraculum quod ipsum iusserat

> ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ
> δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκου σφαγάς.

Quod ut exsequatur, senem iubet aedes ingredi, et simulare se hospitem esse Phocensem, a viro quodam, nomine Phanoteo (1), missum: hunc enim amicum esse aedium dominis; atque nuntiare Orestem in Pythicis ludis curru delapsum obiisse. Significat porro se cum Pylade, interea dum senex quid in aedibus agatur prudenter resciscat, patris tumulum libationibus et comis suis honoraturum, indeque urnam aeneam manibus ferentem reversurum, ut senis narrationi maiorem fidem addat: deque huiusmodi malo omine pariter sentit ac Menelaus, apud Euripid. *Hel.* *v.* 1051,

> κακὸς μὲν ὄρνις· εἰ δὲ κερδανῶ λέγων,
> ἕτοιμός εἰμι, μὴ θανὼν, λόγῳ θανεῖν.

Patriam denique terram salutat, Deosque indigetes, et

(1) Hanc Hermanni interpretationem loci intelligentia flagitat, versus 663 confirmat. Quid enim senex nuntiaret se ab incola quodam Phanotes oppidi missum esse, huius hospitis nomine non addito? Et quomodo Clytaemnestra dicere posset, *v.* 664, hunc hospitem sibi amicum esse cuius nomen non audivit? Locus tamen est e difficilioribus. Plura de eo monui supra, Cap. I. §. 2.

et ad paternam domum se converit, precaturque ut sibi liceat eam repetendis scelerum poenis expiare. Interea Electrae in aedibus sortem suam lugentis vocem audit, nec tamen, etsi sororis esse suspicatur, moratur amplius a sene prudenter admonitus. Ad Agamemnonis igitur sepulcrum proficiscuntur, ut auspicato propositum persequantur. Progreditur iam ex aedibus Electra, et patris cladem propriasque calamitates deplorat. Deos inferos, Proserpinam et Mercurium, et severas Erinnyes obtestatur ne commissum scelus negligant, sed Orestem mittant ultorem.

Accedit Chorus (1) moderationis et prudentiae partes tuens, eamque vel nimio dolori indulgentem sedare, vel animo abiectam erigere conatur, ac malis obrutae, ab amicis desertae, deque Orestis reditu iam desperanti, non aliorum tantum simile fatum, sed Deorum in primis iustitiam et futura auxilia in mentem revocat:

> *θάρσει μοι, θάρσει, τέκνον.*
> *ἔστι μέγας οὐρανῷ*
> *Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει·*

Qua Chori benevolentia victa Electra, minori vehementia, et remissa magis placidaque oratione, in-

(1) Chorus non procedit ante v. 120: cf. v. 128, ἔκοπα. Probat hoc Chori ratio, qui in scenam procedens semper statim canere vel loqui solet: probant hoc etiam antistrophica, quae v. 120 demum incipiunt.

indignationis odiique causas recenset: atque quam misere vitam agat, quidque a matre, quid ab Aegistho patiatur, exponit. Hisce Electrae querelis palam adeo et libere prolatis Chorus Aegisthum domo abesse suspicatur (1), eumque rus abiisse accipiens, de Orestis reditu sciscitatur, et plura rogare in animo habens Chrysothemidis adventu impeditur, quae inferias gestans ex aedibus precedit. Haec non minore erga patrem pietate, sed maiore prudentia et moderatione, perinde atque Electra aegre ferens Aegisthum Agamemnonis sedem occupasse, dolorem tamen comprimit, sororemque precatur ne luctui nimis indulgeat, nec vanis lamentationibus dominorum, quibus parere dura necessitas iubet, iram et odium magis etiam excitet et augeat. Adhortatur Electram ut malis se submittat quibus mederi non possit, et ad ipsius potius sententiam accedat:

ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ.

Quibus consiliis quum Electra indignetur adeo ut sorori non tantum timiditatem exprobret, sed etiam de eius in patrem pietate dubitare videatur, Chrysothemis se haec tantum monuisse refert, ut novum malum impendens ab illa arceret. Aegisthum enim et Clytaem-

(1) Ad fabulae intelligentiam auditoribus significanda erat Aegisthi absentia. Illud probabili de causa h. l. facit poëta, nec minore arte mox Chrysothemin supervenientem inducit: nihil enim habebat Chorus de quo Electram ulterius interrogaret, omnesque inutiles sermones praevertit Chrysothemidis adventus.

taemnestram decrevisse, eam, nisi querelis finem imponat, in carcerem detrudere, ut, solis etiam luce privata, convicia in tenebris effundat. Nec tamen his auditis aut perturbatur Electra, aut sententiam mutat; sed patris interfectorum praesentiam malum omnium gravissimum ducens, hunc nuntium laeto potius animo accipit, et Chrysothemin abituram rogat cuinam istas ferat libationes. Narrat igitur Chrysothemis Clytaemnestram somnio exterritam has inferias Agamemnoni mittere: hunc enim ipsi visum esse sceptrum, quod olim gestare solebat, in terram defixisse, atque ex eo in altum succrevisse germinantem ramum, quo obumbrata tota fuerit Mycenarum terra. Ista vero mandata matris ne exsequatur sororem obtestatur Electra, neque enim haec dona ab impia coniuge missa patri grata futura. Adhortatur eam ut potius comas suas praecidat, easque cum ipsius crinibus et cingulo patri offerat, et eum precetur ut ex inferis opem sibi mittat, filiumque Orestem necis ultorem reducat. Quibus monitis obtemperans Chrysothemis ad patris tumulum proficiscitur.

Sequitur iam carmen antistrophicum, quo Chorus nullam esse divinationis fidem contendit, nisi hoc Clytaemnestrae somnio Iustitiae divinae poenas domestici sanguinis expetiturae adventus significetur:

ἥξει καὶ πολύπους
καὶ πολύχειρ, ἁ δεινοῖς
κρυπτομένα λόχοις,
χαλκόπους Ἐρινύς.

Pe-

Pelopis denique facinus Myrtilique casus memorantur, unde omnes ortae sint istae calamitates.

Ex aedibus, cum famula fruges ferente Apollini offerendas, procedit Clytaemnestra, et miseram Agamemnonis filiam increpat quod ante fores versetur, palamque de matris improbitate queratur. Inde facinus a se commissum defendit: se enim iure Argivorum regem interfecisse, qui apud Aulidem Iphigeniam mactavisset ut Graecis et Menelao gratificaretur, neque ullam infelicis matris paternique amoris rationem habuisset. Electra, venia accepta ut libere quid sentiat eloquatur, primum Iphigeniae necem Dianae tribuendam esse ostendit: huius enim iussu patrem, non sponte, sed invitum, diuque reluctatum, filiam suam immolasse. Deinde vero neque vel hanc fuisse Agamemnonis caedis causam significat. Neque enim Clytaemnestram, ut filiam ulcisceretur, cum adultero, eodemque sceleris socio, consuevisse, et liberos procreare, dum legitimos Agamemnonis liberos eiiciat, eisque dominam magis quam matrem se praebeat. Quibus dictis commota regina iracundiae indulget, atque probris conviciisque filiam persequitur, et audaciae poenas, simul ac Aegisthus redierit, infelici virgini solvendas minatur.

Frugibus deinde Apollini sacrificat, votaque tecte et obscure nuncupat, quum aperte loqui propter Electram vereatur. Deum vero, quem nihil lateat, precatur ut iis, quae animo iam agitat, propitius felicem tribuat eventum.

Accedit ex composito senex ille nuntium de Orestis morte allaturus, et tanquam peregrinus locorumque ignarus, ubinam sit regia Aegisthi domus exquirit. Postquam audivit has ipsas esse regis aedes, seque reginam videre, Orestem occidisse nuntiat, et longiori magnamque veritatis speciem prae se ferente certaminis curulis descriptione, suae de Orestis morte narrationi maiorem fidem addit. Filium periisse accipiens Clytaemnestra varie afficitur: neque enim amor maternus prorsus exstingui facile potest.

δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν· οὐδὲ γὰρ κακῶς
πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται.

Omni vero metu se iam liberari sentiens, mox levem hunc dolorem maiori gaudio postponit, Electramque lacrymantem increpat, atque senem, ut eum digne excipiat, in aedes abducit.

Electra amissa ultima, quam fovebat, spe, scil. fore ut Orestes aliquando patris ultor rediret, matris insolenti laetitia et impunitate exacerbata, patre orbata, ab amicis deserta, invisis dominis tanquam serva subiecta, nec malorum remedium habens aut levamen, animum despondet, et vitam parum curans, ante aedium fores prostrata, luctu tabescere constituit, ut, quod unum superest, non cum iis habitare cogatur, quorum adspectum horret. Quam calamitatibus adeo oppressam videns Chorus benevole adloquitur:

ὦ παῖ, τί δακρύεις;

et Amphiarai exemplo frustra consolari conatur. Omnem enim spem abiicit Electra Oreste mortuo, quem sepulturae etiam honoribus prosequi ipsi non licuerit.

Redit Chrysothemis a patris tumulo, laetissimum nuntium afferens, Orestem venisse, seque ipsam huius rei certissima signa animadvertisse. Patris enim sepulcrum floribus ornatum esse, lactisque libationes in eo effusas, in primis vero desectas comas in summo tumulo depositas Orestis reditum declarare: nec quemquam praeter eum hoc honore Agamemnonem prosequi potuisse. Sorori vero respondet Electra:

φεῦ, τῆς ἀνοίας ὥς σ' ἐποικτείρω πάλαι.

. . . .

οὐκ οἶσθ' ὅποι γῆς οὐδ' ὅποι γνώμης φέρει (1).

eamque deinde certiorem facit Orestem illum, quem rediisse arbitratur, vita defunctum esse, adeoque se omni auxilio esse destitutas. Quare eam adhortatur ut omni metu deposito ipsae rem adgrediantur, et ab Agamemnonis interfectoribus iustas poenas repetant. Proponit ei miseriam prae-

sen-

(1) Ingeniosissima est coniectura Iacobsii *ad Anthol. Vol. III. P. II. p.* 22. quam adfert Hermann in *Praefat. ad Soph. Electr.*

οὐκ οἶσθ' ὃ γηθεῖς, οὐδ' etc.

sentis vitae conditionis, et magnam prosperi successus fortunam, cum summa apud posteros fama atque gloria:

> συμπόνει πατρί,
> σύγκαμν' ἀδελφῷ, παῦσον ἐκ κακῶν ἐμέ,
> παῦσον δὲ σαυτὴν, τοῦτο γιγνώσκουσ' ὅτι
> ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

Tale vero consilium a timidae virginis indole nimis abhorret quam ut eius particeps adiutrixque fieri possit. Sorori igitur fortunam suam adversam, exiles vires, prudentiam, praesentes calamitates non augendas, omnia obiicit, eamque a proposito deterrere conatur: quam vero quum movere se non posse videat, in aedes revertitur (1). Chrysothemidis monitis Electra non obtemperat, neque consilium mutat, sed propriis viribus tantum periculum subire decernit. Postquam Chorus cantico generosae Agamemnonis filiae pietatem laudibus extulit, eiusque fatum infelix miseratus est, Orestes cum Pylade famulisque urnam ferentibus (2) procedit, et se Phocensem esse, Orestisque reliquias adferre simulat. Quo praesente mor-

(1) Chrysothemidis personam Sophocles produxit non tantum ut eius indolem Electrae moribus opponeret, sed etiam ut haec, sororis quoque auxiliis destituta, nullum miseriae levamen inveniret. Quod quum iam factum sit, Chrysothemis non amplius in scenam procedit, quippe quae persona in seqq. inutilis foret.

(2) Ut apparet ex v. 1119.

mortis fraternae testimonio commota, nec si quid antea, se omnia amisisse iam dubitans Electra, urnam petit ut sibi liceat lacrymis saltem fratris honorare cineres, propriamque sortem lugere.

Sequuntur iam pulcherrimi isti versus, quorum venustatem atque vim vere tragicam facile quisque sentiat, et ad quos bene recitandos, miserationemque excitandam, Polo, histrioni cuidam, (si fabula vera est) profecto non opus fuisset filii sui ossa et urnam proferre, si modo veram Sophocleae Electrae imaginem animo impressam habuisset. » Querelae illae, ab omni » aevo celebratae, quas ad urnam fratris Electra » fundit, ita ad naturae veritatem expressae sunt, » ut artis cogitatio, si forte incidat, ingrata nobis » atque impia fere videatur." *Clar. V. Limburg Brouwer. de Sophocl. trag. p.* 160.

Sororis lamentationibus commotus Orestes, nec sui amplius compos (1), prudentiae oblitus, miserationi indulget, atque auditis, quae a matre patiatur Electra, Orestem vivere, seque Orestem esse pro-

(1) Mirabilis quaedam gradatio est in scena illa, qua sorori se aperit Orestes, *v.* 1171. *sqq.* Versus 1198 ita pronunciandus:

μόνος γὰρ ἥκω τοῖσι σοῖς .... ἀλγῶν κακοῖς.

In eo fuerat ut diceret ἀρήξων, vel simile quid; sed animi motum reprimit, cui deinde indulget. Idem animadvertisse mihi videor in loco Euripidis *El.* *v.* 288, de quo infra dicam.

profitetur, et incredulae etiamnumque dubitanti patris sigillum ostendit:

τήνδε προσβλέψασά μου
σφραγῖδα πατρός, ἔκμαθ' εἰ σαφῆ λέγω.

Quo magis afflicta fuerat et omnem spem abiecerat Electra, eo maiori nunc laetitia effertur, quam Agamemnonis tantum caedis mentione, Apollinisque oraculis memorandis, sedat et moderatur Orestes. Quare sororem rogat ut, inutilibus missis sermonibus, ea potius se doceat, quae ad propositum suum scire necesse habeat, utque caveat ne hilari vultu rem prodat aedium dominis. Respondet vero Electra se nihil habere quod eum ulterius moneat, ipsum enim iam audivisse Aegisthum domo abesse; mox autem aliquem accedentem audiens, mutato sermonis argumento, hospites invitat ut domum ingrediantur.

Ex aedibus procedit senex, et incautos reprehendit, quod se in summo periculo versari non animadvertant, tempusque terant rei gerendae opportunum. A fratre admonita senem agnoscit Electra, eumque patrem, Agamemnoniaeque stirpis servatorem adpellans, non magis in rebus laetis quam in tristibus sibi temperat. Quibus sermonibus finem imponit senex, Orestemque et Pyladem adhortatur ne amplius cunctentur, quum vir nullus sed sola Clytaemnestra sit domi. Quare, postquam Apollinis auxilium imploravit Electra, aedes ingrediuntur.

Cho-

Chorus brevi cantico non somnium fefellisse, sed vindictae diem illuxisse significat, et in scenam redit Electra ut Aegisthi reditum observet, Choroque nuntiat viros in eo esse ut rem exsequantur. Mox Clytaemnestrae mortem deprecantis vox auditur, ad cuius caedem fratrem excitat Electra: qua horrenda scena, neque Aeschylus aut Euripides, neque ipse Sophocles quidquam habet terribilius.

K. ὦ τέκνον, τέκνον,
οἴκτειρε τὴν τεκοῦσαν.
H. ἀλλ' οὐκ ἐκ σέθεν
ᾠκτείρεθ' οὗτος, οὐδ' ὁ γεννήσας πατήρ.
K. ὤ μοι πέπληγμαι.
H. παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν.
K. ὤ μοι μάλ' αὖθις.
H. εἰ γὰρ Αἰγίσθῳ γ' ὁμοῦ.

Procedit cum comitibus suis Orestes, atque Clytaemnestram cecidisse nuntiat. A Choro autem admonitus Aegisthum adventare, in aedes se recipit, dum Chorus Electrae suadet ut Aegisthum lenibus verbis adloquatur, quo minus periculum suspicetur.

Advenit iam rure Aegisthus, et Electram contumeliose adpellat, ab eaque quaerit ubinam sint hospites quos audivit nuntium de Orestis morte adtulisse. Electra, adversae fortunae se quasi submittens, eos in aedibus esse et huius mortis manifesta signa adtulisse significat. Quibus auditis Aegis-

gisthus fores pandi iubet, ut omnes rem conspiciant, et inanem de Orestis reditu spem deponant.

Apertis foribus, conspicitur velo tectum cadaver, quod Orestis esse arbitratus Aegisthus, velamen removet, et simul Clytaemnestram agnoscit, seque in Orestis insidias incidisse videt. Quem loqui et mortem subterfugere conantem ut statim occidat fratrem adhortatur Electra. Frustra igitur repugnantem in aedes abripit Orestes, ut hoc ipso loco mortem oppetat, quo olim Agamemnonem interfecerat.

Finem tragoediae facit Chorus:

ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθὸν
δι' ἐλευθερίας μόλις ἐξῆλθες,
τῇ νῦν ὁρμῇ τελεωθέν.

---

§. 3.

De Euripidis Electra.

Euripidem fabulas suas plerumque non recte ordinare omnibus notissimum est, eiusque τὸ μὴ εὐ οἰκονομεῖν, post Aristotelem, multi reprehenderunt; quod vitium quisque facile animadvertat, qui eum vel semel legerit. Hac igitur ex parte quum Aeschylo et Sophocli iam universe multo sit inferior, eius Electra hoc ipso vitio maxime laborat, ne-

neque inter praestantissimas eius fabulas referri potest; quod bene tenendum est, ne, hanc tragoediam cum Choëphoris Sophoclisque Electra comparantes, inique de poëta philosopho iudicemus. Habet praeterea excusationis aliquid, quod multa sibi ab illis praerepta videret. Quum enim Aeschylus Agamemnonis caedis ultionem graviter et digne in scenam protulisset, et Sophocles Electram suam ad Choëphororum exemplum ordinatam propriis quibusdam dotibus ornasset, eaque immutasset quae a patre tragoediae minus apte inventa viderentur, Euripides, ne actum ageret, nova quaedam excogitare coactus est. Quod autem dicit Schlegelius, Euripidem non necesse habuisse post Aeschylum Sophoclemque fabulam *Electram* componere, hoc viro doctissimo, sed in Euripidem universe iniquiori, non facile concesserim. Neque enim Graeci, ut nostris temporibus saepissime fieri videmus, solebant quascunque res tragoedia dignas iudicare; sed illorum tantum hominum casus et facta in scenam proferebant, quos fabulosa antiquitas et mythologicae traditiones historiae intermixtae, tanquam maiores et nobiliores, atque necessitudine quadam cum Diis coniunctos, poëtis celebrandos offerebant (1). Νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ κάλλισται τραγῳδίαι συντίθενται· οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα,

(1) Exceptionem faciunt Aeschyli Persae. Sed haec non adeo tragoedia dicenda est, quam pulcherrimus Hymnus in Libertatem.

μαίωνα, καὶ Οἰδίπουν, καὶ Ὀρέστην, καὶ Μελέαγρον, καὶ Θυέστην, καὶ Τήλεφον, καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι. *Aristot. Art. Poet. c. XIII.* 7. Quare ex paucis istis illud argumentum intactum relinquere noluit Euripides, quod scenae aptissimum esset et tragica poësi dignissimum. Etenim

> οὐκ ἔστιν οὐδεὶς οἶκος ἀθλιώτερος
> τῶν Ταντaλείων οὐδ᾽ ἔφυ ποτ᾽ ἐκγόνων.

Quod si hoc *necesse* non erat, neque etiam necesse fuit ut ullam fabulam conscriberet, tragoediisque nomen suum immortalitati commendaret.

In Electra Euripidea scenae locus non Argis aut Mycenis, sed in excelso monte prope Argolidis fines constituitur. In hoc agresti loco conspicitur rustici cuiusdam pauperis domus. Chorus constat ex mulieribus rusticis, *v.* 296, et provectae iam aetatis, ut patet ex *v.* 196. *et* 699. Actio nocte sub diluculum incipit, *v.* 54. 78. 90. 102, et continuo absolvitur.

Primus in scenam procedit rusticus, et prologum (1) agit quo spectatoribus omnia declarat quae ad fabulae intelligentiam necessaria sunt. Narrat igitur Agamemnonem Troia reversum Clytaemnestrae dolo Aegisthique manu sublatum fuisse. Ores-

(1) In hoc prologo versus et orationem aliquanto negligentiores esse, quam in reliqua fabula, observat *Hermann.* in *Praefat. ad Soph. Electr.* De ipsis autem prologis Euripideis quaedam infra dicam cap. IV.

Orestem parvulum a sene paedagogo clam fuisse subductum Strophioque Phocensi traditum. Electram autem in aedibus patriis mansisse, multosque procos eius nuptias frustra ambiisse, nec cuiquam illam ab Aegistho desponsam fuisse, quod metueret ne nobili et potenti marito filios pareret, Agamemnonis futuros ultores. Tandem vero Aegisthum, eam a matre defensam occidere frustra conatum, constituisse pauperi cuidam eam despondere:

ὡς, ἀσθενεῖ δοὺς, ἀσθενῆ λάβοι φόβον.

Se autem esse hunc hominem, pauperem quidem, sed nobili genere ortum, seque Electram domi suae intactam habere, a cuius nuptiis abstinuerit, Agamemnonis memoriae reverentia, et metu ne Orestes aliquando redux indignarum nuptiarum poenas repeteret.

Procedit Electra squalidis comis, sordidis vestibus induta, cf. *v.* 183, vas aquarium in capite ferens. Labores enim subire non recusat; sed tanquam rustica mulier res domesticas curare haud dedignatur, ut virum, agrestibus operis intentum, quantum possit sublevet. Pergunt igitur haec ad aquam ex fonte hauriendam, ille ad agros.

Accedit iam cum Pylade nonnullisque famulis, *v.* 392. 770. 793, Orestes, et amico consilia sua exponit. Se hac nocte patris sepulcrum lacrymis comisque suis et agni sanguine honorasse. Apollinis enim oraculorum auctoritate se venisse ad do-

mestici sanguinis poenas expetendas; urbem vero ipsam ingressum non esse, sed in regionis finibus versari, ut solum vertere possit, si forte ab Aegisthi exploratoribus agnoscatur. Sororem autem suam se quaerere, quam audiverit alicui nupsisse, ut eam facinoris sociam recipiat, ab eaque resciscat quae in urbe agantur. Mox vero animadvertens auroram noctis pellere tenebras, mulieremque, quam famulam esse arbitratur, accedere videns, cum comitibus suis ex via recedit, ut eam observet, ab eaque forte quaedam audiat quae scire sibi expediat.

Redit Electra, quae aquatum abierat, et miserias suas carmine antistrophico deplorat. Se Agamemnonis filiam in tam indigna conditione versari, patrem occisum esse, fratrem exsulare. Accedit mulierum rusticarum Chorus, Electramque adhortatur ut secum ad publica Iunonis sacra tendat. Haec vero neque animum suum festa expetere, nec veste decora laetoque vultu iis interesse se posse respondet. Quare Chorus vestibus ornamentisque suis Electrae oblatis, eam monet ne luctui et lacrymis indulgeat, sed precibus potius Deos adeat. Quibus obiicit illa inutiles esse preces, quod Dii humanas miserias curare non videantur:

οὐδεὶς θεῶν ἐνοπᾶς κλύει
τᾶς δυσδαίμονος, οὐ παλαι-
ῶν πατρὸς σφαγιασμῶν.

Propriis hoc calamitatibus probat, et Aegisthi Clytaem-

taemnestraeque impunitate confirmat.

Ex latebris procedente cum comitibus Oreste, Electra peregrinorum illorum repentino adventu terrefacta, atque fugere cupiens, manu retinetur ab Oreste, et inani metu, iniecta fratris mentione, liberatur:

ἥκω φέρων σοι σοῦ κασιγνήτου λόγους.

Neque enim se Orestem esse sorori significat, sed ab eius fratre se missum esse fingit, ut omnia requirat quae Argis agantur, ad eumque referat. Quare Electram non tantum de conditione in qua versetur interrogat, sed etiam de iis quae in urbe agantur, deque modo quo Orestes redux patris caedis ultionem persequi possit. Respondet illa, omnia fratris reditum postulare, ipsius miseram sortem, interfectorum superbiam, Agamemnonis inhonoratum sepulcrum; atque se in certamine ei adiutricem fore pollicetur.

Redit ab agro rusticus, primumque iuvenes cum Electra colloqui miratur: etenim

γυναικί τοι
αἰσχρὸν μετ' ἀνδρῶν ἑστάναι νεανιῶν.

Mox vero, re audita, hospites invitat ut domum suam ingrediantur, iisque fruantur quae ipsius paupertas iis offerre possit. Cuius viri bonitate motus Orestes, eumque cum ditioribus vel potentioribus comparans, ex intima philosophia petitam profert sententiam: nihil esse unde certo de hominum in-

 do-

dole iudicare possis, neque enim hominum conditionem, divitias, potentiam aut generis nobilitatem certa esse virtutis, probitatis, fortitudinis aut ingenii indicia:

οὐκ ἔστ' ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν.

Oreste cum comitibus suis domum ingresso, Electra rusticum reprehendit quod hospites exceperit, quibus nihil satis dignum offerre possint: quare ei suadet ut senem adeat Agamemnonis olim paedagogum, eumque roget ut ipse veniat, et quaedam ad coenam secum ferat. Neque enim se dubitare quin laetus venturus sit simul ac audierit Orestem adhuc vivere, quem parvulum olim subduxerit et servaverit. Monitis istis obsequitur rusticus, et quaedam de divitiarum utilitate subiungit, non quod ad vitae usum necessariae sint, sed quod hospitis digne excipiendi facultatem praebeant. Discedunt uterque: hic ad senem arcescendum, illa in domum.

Sequitur Chori canticum quo Graecorum adversus Troiam expeditio celebratur, cuius occasione Achillis arma describuntur a Vulcano fabricata. Inde Clytaemnestrae memoratur facinus, quae tantorum virorum ducem interfecerit: cuius sceleris poenam expetit Chorus, et a Diis vindictam precatur.

Via montisque arduo adscensu fessus tarde advenit senex, qui tamen ab Electra arcessitus iter illud suscipere non dubitavit, eique agnum offert et caseum vinumque, quae ad hospitum coenam ad-

adtulit. Quem lacrymantem videns Electra, domo egressa, doloris causam quaerit. Narrat igitur senex se Agamemnonis sepulcrum haud procul a via positum adiisse, in eoque ovem recens mactatam vidisse, et crinium cincinnos in mortui honorem detonsos. Nec tamen hoc Argivorum aliquem fecisse; quare Orestem rediisse suspicatur, Electramque rogat ut capillos illos cum ipsius comis conferat, vestigiaque premens videat an pedi suo conveniant. Haec vero ita nihil probari iudicans, a peregrino quodam potius vel clam ab Argivo haec dona tumulo imposita esse arbitratur, quare rem ulterius investigare recusat (1). Sene ubinam sint hospites quaerente, domo cum comitibus suis exit Orestes, et inde consequitur illa agnitio quam Aeschyli commento substituit Euripides. Senex enim Orestem agnoscit, et prae gaudio exsultans sibi temperare nequit, remque statim Electrae declarat. Cui signum quaerenti, unde certo cognoscere possit fratrem adesse, cicatricem iuxta supercilium Orestis monstrat, quam olim puer cum sorore hinnulum consectans ex casu contraxisset. Omnibus igitur dubiis solutis, Electra insperatae laetitiae se tota tradit, neque Orestes amplius se fratrem eius esse negat, sed se venisse profitetur ut cum ea certamen ineat, cuius exitum, ex fide Diis habenda, felicem fore auguratur.

Chorus gaudio elatus brevi carmine diem celebrat

(1) De hoc loco plura monebo infra Cap. IV.

beat, quo tandem Orestes diu multumque vagatus ad ad aedes redierit paternas, Diisque tanti boni auctoribus gratias agendas esse significat.

Prudentiae partes tuens, propositique memor Orestes, cum sene et Electra consilia init, quo optime modo rem adgredi possit: quare ex illo quaerit num forte Argis habeat quosdam causae suae faventes, sibique in periculo opem laturos. Quam vero spem praecidit senex:

οὐδεὶς δυστυχοῦντί σοι φίλος.

Omnemque spem fortunasque omnes suas ipsum secum ferre declarat:

ἐν χειρὶ τῇ σῇ πάντ' ἔχεις καὶ τῇ τύχῃ,
πατρῷον οἶκον καὶ πόλιν λαβεῖν σέθεν.

Quo igitur modo Aegisthum occidere possit ei porro indicat. Se scilicet in itinere Aegisthum vidisse haud ita procul Nymphis sacrificium parantem. Orestem vero oportere eo tendere, unde ab illo conspiciatur; neque enim dubium esse quin Aegisthus eum ad sacrificium epulasque invitaturus sit, atque sic rei perpetrandae occasionem praebiturus. Famulos autem, quibus stipatus sit, non metuendos esse, modo res bene cedat; istorum enim hanc esse naturam ut victori semper faveant. Quod autem ad Clytaemnestram attinet, huius caedem parare Electra suscipit. Civium enim vituperia invidiamque metuens, cum marito exire non ausa fuerat regina, sed deinde seorsim eodem tendere con-

constituerat. Quam ut probabili de causa a via ad se domumque suam perducat Electra, senem iubet eam adire atque nuntiare filium partu edidisse Electram: hoc enim audito venturam esse Clytaemnestram, misericordia motam, filiaeque liberorum indignam et humilem conditionem aegre ferentem:

ἐλθοῦσα μέντοι δῆλον ὡς ἀπόλλυται.

Re ita constituta, frater et soror Iovis et Iunonis auxilium precantur, patrisque Manes invocant, ut ipsis in certamine adsit, nec liberos deserat. Orestem cum comitibus suis et sene proficiscentem consilii sui certiorem facit Electra: victo enim fratre, mortem sibi consciscere decernit, quare Chorum rogat ut, quam primum rei exitum cognoverint, ipsi quid actum sit significent, ut aut fratris victoriam cantibus celebrare, aut generosam mortem oppetere possit:

οὐ γάρ ποτ᾽ ἐχθροῖς τοῖς ἐμοῖς νικωμένη
δίκην ὑφέξω σῶμ᾽ ἐμὸν καθυβρίσαι.

Re in discrimen adducta ad finemque properante, horum malorum originem repetit Chorus, aureique agni historiam celebrat: quorum omnium tamen immemor, et natalium splendore, tantisque fratribus indigna Clytaemnestra (1), sceleribus superad-
dens

(1) *V.* 749. συγγενέτειρα. Interpretes vertunt *mater*, i. e. quae una gignit: activo sensu. Non recte, ut opinor. Συγγε-

dens scelus, coniugem impie trucidare non dubitaverit. Mox vero audito clamore Chorus Electram domo evocat: quam exterritam, iamque de felici exitu desperantem, aegre impedit quominus manus sibi inferat, quamque aliquis ex Orestis famulis adveniens omni metu liberat. Hic enim primis istis verbis rem bene cessisse declarat:

νικῶντ' Ὀρέστην πᾶσιν ἀγγέλλω φίλοις.

Deinde vero quomodo iusta poena patris occisorem affecerit Orestes fusius narrat. Hunc enim Thessalum se esse et ad Alpheum tendere, Iovi Olympio sacrificaturum, simulantem, ab Aegistho sacrificio epulisque invitatum fuisse. Cum vero in aedes se recepissent, famulos hastas deposuisse ut ad opus se adcingerent: atque Aegisthum, postquam ipse et Orestes quisque pro se nymphas precatus esset, vitulum mactasse, et, ut exta inspiceret, toto corpore inclinatum ab Agamemnonis filio percussum ce-

νέτειρα est *soror*, i. e. quae una nascitur: passivo sensu. Idem h. l. dicitur, quod infra *v.* 994:

τοῖν ἀγαθοῖν ξύγγονε κόρειν.

Vox γενέτειρα occurrit in fragm. Euphorionis, apud *Plut. Symp.* *V*. 3. *p* 677. *A.* ubi passive sumitur. Ἀστάκου γενέτειρα i. e. *filia*, uti explicat A. Meineke, *Euphor. Fragm. p* 112. conferre iubens γενέτης *filius*, in *Oed. Tyr. v.* 469. Add. γενέτης *filius*, Eurip. *Ion. v.* 916. Huius vero terminationis τειρα, passivo sensu usurpatae, exemplum est in Soph. *El. v.* 107: τεκνολέτειρα, i. e. non quae perdidit, activo sensu; sed quae amisit, perdidit, orbata est liberis. Quare συγγενέτειρα apud Eurip est Clytaemnestra Castoris et Pollucis *soror*.

cecidisse. Inde tumultum famulorumque clamores ortos. Orestem vero turbam sedasse, omniumque animos sibi conciliasse, dicentem se non tanquam hostem civitati servisque suis venisse, sed ut patris caedem ulcisceretur. Ipsum autem sequi et mox adfuturum, invisi Aegisthi caput tanquam victoriae signum ferentem. Dum laeto cantu Chorus gaudium significat quo effertur, Electra comae ornamenta et coronas nectit, easque Oresti et Pyladi redeuntibus offert. Aegisthi truncum corpus et caput (cf. *v.* 963), a famulis ut videtur gestata, sorori tradit Orestes, quae, hostis morte nondum placata, eius reliquias, probris et conviciis insectatur, ei quaecunque passa sit exprobrat, eiusque scelera recenset et exagitat (1). Dum Orestes famulos iubet amovere quae Aegisthi caedem reginae indicare possint, Electra ipsam Clytaemnestram in curru adpropinquantem videt, cuius adventu fra-

(1) Quod de recentiore tragoedia refert Aristoteles, *Art. P.* *VI.* 13, personas induci ῥητορικῶς λέγοντας, hoc ad Euripidem maxime pertinet, et hoc nomine de eo verissime pronuntiavit Quintilianus, *Inst. X.* 1, iis qui se ad agendum comparant eum utilissimum esse, quod in sermone oratorio generi accedat. Illud igitur ῥητορικῶς et vero φιλοσόφως λέγειν, uti saepissime Euripidis tragoedias pulcherrimis locis ornat, ita nonnunquam otiosum est vel alienum. Maiores enim illi animi motus atque perturbationes, in tragoedia obvii, subtiles istas rerum disquisitiones non admittunt. Quod de hac etiam Electrae oratione dicendum est, quae verissimas quidem continet sententias, easque ex intima philosophia petitas, sed nec virgini aptas, neque inter caedem et sanguinem pronuntiandas.

frater et soror varie adficiuntur. Ille enim matrem occidere metuit, adeo ut de Apollinis oraculorum fide dubitare incipiat, haec vero magis etiam confirmatur, fratremque animo abiectum ad ultionem excitat, eiusque dubia solvit, scelestae mulieris facinora memorans, et Dei iussa quibus mortales parere debeant. Sororis igitur monitis Deorumque auctoritati obsequitur Orestes, matrique insidias structurus domum ingreditur. Advenientem Clytaemnestram, currui cum Troianis captivis insidentem, regio ornatu insignem, reginam salutat Chorus, blandisque verbis omnem periculi suspicionem removet. Matri obviam procedit Electra, ut eam a curru descendentem manu prehendat, eoque servili munere et officio fungatur, quum non meliore quam istae captivae conditione utatur, perinde atque illae aedibus suis et patre privata. Quibus verbis crimina sua tecte significari sentiens Clytaemnestra, factum defendit iisdem fere argumentis, quibus apud Aeschylum et Sophoclem Agamemnonem iure occisum esse contendit: quod Iphigeniam in Aulide mactasset, et Cassandram in aedes induxisset. Libere dicendi venia accepta, Electra non hac de causa patrem interfectum esse ostendit, matremque nullam excusationem habere, quod legitimos Agamemnonis liberos ex aedibus expulerit. Denique, si verum sit quod modo dixerat,

εἰ δ' ἀμείψεται
φόνον δικάζων φόνος,

ip-

ipsam sibi legem dixisse, et iustam fore Agamemnonis ultionem. Filiae, οὐχ οὕτως ἄγαν τοῖς δεδραμένοις χαίρουσα, ignoscit mater, et huic disputationi mox finem imponit causam requirens quare arcessita sit. Respondet Electra, quum nunc primum pepererit, se nescire

δεκάτῃ σελήνῃ παιδὸς ὡς νομίζεται.

adeoque matrem advocasse, ut haec solenne in puerperiis sacrificium ordinaret. Currum igitur et famulos dimittit Clytaemnestra, et sacrificium peractura domum ingreditur. Quam abeuntem tecte adloquitur Electra:

θύσεις γάρ, οἷα χρή σε δαίμοσιν θύειν·

et, prouti paulatim digreditur mater eiusque verba minus audire potest, eo apertius sensim quale sit illud sacrificium declarat.

Solus relictus Chorus canit ἀμοιβὰς κακῶν, et opportuna indignae Agamemnonis caedis mentione, rei praesentis horrorem, iustitiae divinae recordatione, quodammodo minuit et temperat.

Mox percussae Clytaemnestrae vox auditur:

ὦ τέκνα, πρὸς θεῶν μὴ κτάνητε μητέρα.

Choroque scelestae sed infelicis mulieris casum miserante, matris respersi sanguine procedunt frater et soror (1), et conscientiae iam stimulis agi-

(1) Videtur etiam Clytaemnestrae cadaver in scenam adlatum fuis-

agitati alter in alterum culpam convertunt, factique poenitentiam, qua excruciantur, magis etiam augent, memorantes quam misere mortem deprecata sit mater, pectus nudans, liberorumque genua amplexa. Horrore perfusis factumque abominantibus apparent Castor et Pollux in aëre conspicui, Orestemque adloquuntur, atque Iovis et Fati iussa ei significant. Clytaemnestram enim iure occisam esse: quod vero a filio suo interfecta sit, huius rei culpam in Apollinem coniiciunt. Pyladem igitur iubent Electram ducere uxorem, et cum ea et rustico, cui ab Aegistho desponsa fuerat, in Phocidem reverti, atque hunc opibus ditare, in probitatis praemium. Oresti vero nuntiant Furias ipsum agitaturas esse:

> δειναὶ δὲ Κῆρες, αἱ κυνώπιδες θεαὶ,
> τροχηλατήσουσ' ἐμμανῆ πλανώμενον (1).

Qua-

fuisse: quod Orestes, vel Chorus adloquitur v. 1230. Electra vero velis tegit v. 1232. et Dioscuri δεικτικῶς significant, v. 1244.

(1) Κῆρες. Hanc vocem male verti *Parcae*, atque hic, et *Herc. Fur.* 870, ut Soph. *Oed. R.* 472, significare *Furiae*, notat Seidler. — Schneider in *Lexic. Crit.* excitat locum Aeschyli, *Sept. c. Th.* v. 1035, quo Furiae dicuntur Κῆρες Ἐρινύες. Wakefieldus autem, ad *Aeschyli Eum.* v. 168, voce Μοίρας ipsas Eumenides intelligendas esse existimat: dissentiente tamen Schützio, propter *Eumen.* v. 331. quo l. μοίραι diserte ab Eumenidibus distinguuntur: μοίρας et κῆρας coniungit *Hesiod. Theog.* v. 217.

Quare eum monent ut Athenas se conferat, ut ibi ab Areopago absolvatur: Apollinem enim ei in iudicio adfuturum omnemque culpam in se collaturum. Eum deinde in Arcadia ad Alpheum fluvium urbem conditurum nomenque suum inditurum, et felicem fore omnibus istis malis liberatum. Aegisthi autem sepulturae curam cives habituros, Clytaemnestramque ultimis honoribus prosecuturos esse Menelaum et Helenam ex Aegypto reduces.

Novo igitur dolore afficiuntur Orestes et Electra, qui post longum tempus vix mutuis amplexibus gaudentes, iam statim Deorum iussu a se invicem divelluntur. Necessitati tamen parere non dubitant, sed ita ut luctus et fraterni amoris signis ipsorum Deorum animos miseratione permoveant.

φεῦ, φεῦ· δεινὸν τόδ' ἐγηρύσω
καὶ θεοῖσι κλύειν.
ἔνι γὰρ κἀμοὶ τοῖς τ' οὐρανίδαις
οἶκτοι θνητῶν πολυμόχθων.

Orestem denique, Pyladis curae sororem suam committentem, hortantur Castor et Pollux ne amplius moretur, sed matris Furias effugiat, Athenasque se conferat. Quibus dictis, ipsi nautis (1) opem laturi sublimes abeunt.

Pro-

(1) Notandi sunt duo versus illi, quos Dioscuris tribuit Euripides, v. 1346:

ad

Proficiscentibus fratri et sorori valedicens, finem tragoediae facit Chorus:

> χαίρετε· χαίρειν δ' ὅστις δύναται,
> καὶ ξυντυχίᾳ μή τινι κάμνει
> θνητῶν, εὐδαίμονα πράσσει.

Huic trium tragoediarum expositioni pauca tantum subiiciam. In AESCHYLI fabula omnia simplicissime ordinata sunt, omnia eodem tendunt. Actio tarde progreditur, Chorusque longioribus canticis Deorum auxilia saepe precatur: in quibus artis initia deprehendas. Factum inauditum canens poëta omnia arripuit quae horrorem movere et augere possent. Inde crebrae caedis regiae, Divinae vindictae, Furiarum, ultionis mentiones. Nulli ornatus, nullae digressiones auditorum animos a Pelopidarum malis recreant. Toti fabulae atrum quasi velum obductum est. Accedit quod, inclinato iam die, mox νυκτὸς ἄρμ' ἐπείγεται σκοτεινὸν, quae noctis adpropinquantis tenebrae terrorem augent, maxi-

> νὼ δ' ἐπὶ πόντον Σικελὸν σπουδῇ
> σώσοντε νεῶν πρώρας ἐνάλους.

Quo loco, nisi me vehementer fallit coniectura, Atheniensium benevolentiam sibi conciliare poëta studuit. Hoc si verum est, acta est fabula tempore belli Peloponnesiaci, quum classem ducibus Nicia, Lamacho, et Alcibiade, in Siciliam misissent Athenienses, i. e. anno A. C. N. 415. quum aetatis annum 65 ageret Euripides.

maximeque conveniunt Diis Manibus et Agamemnonis umbrae, quae, Orco quasi excitata, rei gerendae continuo interesse, filiumque ad matrem necandam propellere videtur. Agamemnonis sepulcrum in scena conspicuum totius tragoediae argumentum est, quo omnia referuntur. In hoc sepulcro primum Orestes preces effundit. In hoc inferias cum Choro facit Electra, in eodem fratris comas et pedum vestigia agnoscit. Eidem sepulcro insidentes frater et soror patris Deorumque Manium auxilia precantur. Huic continuo preces nuncupat Chorus: hoc quasi teste Deorum iussis obsequitur Orestes, et, matris turpatus sanguine, causam coram populo defendit. Chorus etiam ipse eo pertinet. Mulieres enim istae bello captae Agamemnonisque quondam ancillae, nunc tristi et demisso vultu, nigris indutae vestibus, libamina ferentes mortuo inferias, ad eius sepulcrum solenni pompa accedunt. Mirabilis quaedam in Aeschyli fabula gradatio et progressio spectatur, qua auditorum intentio magis magisque augetur, et miseratio primum, deinde metus, tum terror, et vero horror excitantur. Orestes in patris tumulo Mercurium Infernum et Iovem invocans, Chori cantus, Electrae libationes effundentis imprecationes, fratris et sororis agnitio, eorumdemque sepulcro insidentium preces et querelae, oraculorum et futurae ultionis mentio, ficta Orestis mors dum ipse patrias aedes ingreditur, Aegisthi adventus, eiusdemque interitus, filius matrem arripiens neque eius

precibus motus, Clytaemnestrae denique caedes, Chorique canticum lugubre. Ipse tragoediae finis, etsi, ut supra animadvertimus, ad Eumenides magis quam ad Choëphoros pertinet, adeoque minus in censum vocari debet, huic progressioni non obstat, sed eam auget potius. Prolato enim vestimento isto, ipsa quasi Agamemnonis umbra evocari videtur, et, iam sole praecipitante tenebrisque cedente, Noctis filiae, domestici facti sanguinis ultrices, Furiae, Orestem adspectu et numero suo terrentes (1), patriis exturbant solo et aedibus.

Mira quadam arte Sophocles, etsi in multis Aeschylum sequitur, plane novam, et ab Aeschylea diversam, protulit tragoediam. Cum Pylade quidem Orestes in patriam revertitur, falsumque de morte sua nuntium affert, somno exterrita inferias Agamemnoni mittit Clytaemnestra, comas suas in patris tumulo deponit Orestes, idemque regias aedes clam ingreditur: quae omnia apud Aeschylum invenias. Sed eodem tamen argumento ita usus est Sophocles, ut in fabulae ordinatione non tantum tragoediae patrem non imitatus sit, sed aliam potius viam inierit, et nova etiam invenerit ingenio suo aptiora. Iam non hoc dico: scenae apparatum, bene distinctos mores, nodum magis implicatum, plures personas, breviores Chori cantus, et

(1) Insignem hunc locum imitatus esse videtur Euripides in *Oreste*.

et quod ipse Chorus *actoris partes officiumque virile defendat;* sed illud significo, quod Agamemnonis umbram, Mercurium Infernum, Proserpinam, Deos Manes, Furias, omnes τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας Aeschylo reliquerit, atque rem, quae in Choëphoris, ut ita dicam, apud Inferos agitur, in lucem et solem protraxerit. Eadem actio quae apud Aeschylum sub noctem concluditur, apud Sophoclem ipsa aurora incipit, ita ut rei agendae non noctis tenebrae obducantur, sed solis orientis lux adfulgeat. Non captivarum fuscisque vestibus indutarum mulierum, sed nobilium feminarum Chorus. Non Agamemnonis sepulcrum oculis obiicitur; sed lucus, templum, ager Argivus. Nec sine causa illud fecit poëta. Cuicumque bene ordinatae tragoediae inest aliquid, unde omnia proficiscantur, quo omnia referenda sint. Cardo ille, in quo omnia vertuntur, est apud Aeschylum interfecti regis sepulcrum. Sophocles vero non Agamemnonis caedem ultionem provocantem, sed infelicis regis miseram filiam, tragoediae argumentum sibi proposuit. Inde factum idem novo plane modo in scenam protulit. Mortuo Agamemnoni vivam substituit Electram, cuius praesentes calamitates sine dubio melius comparatae sunt ad auditorum animos commovendos, quam Divina illa vindicta in Choëphoris perpetrati olim sceleris poenas exigens. Quae quum ita sint, videmus Sophoclem, in diversa eiusdem rei tractandae ratione, non minus quam Aeschylum, cum in universa

compositione, tum in singulis partibus, sibi constare. » Non Electrae tantum nomine insignitur fa» bula, sed tota fere fabula Electra est, ad Elec» tram omnes tragoediae partes referuntur, omnia » ad Electram spectant, Electra ubique apparet, » conspicitur, adest (1)." Illud etiam observandum est, miseram Electrae conditionem singulis scenis ad ἀναγνώρισιν usque infeliciorem reddi, ut in eo progressio quaedam spectetur. Chrysothemidis primum lenis et facilis indoles, eademque Clytaemnestrae dona ad patris tumulum ferens, et eam admonens Aegisthum decrevisse illam in carcerem includere, Electrae indignationem movet. Sequuntur Clytaemnestrae defensio et minae. Iam senex adveniens Orestem cecidisse nuntiat. Rediens Chrysothemis gaudio vano elata, et deinde ei ultionem paranti adesse recusans, eam ab omnibus desertam, omni spe destitutam relinquit. Ultimo loco adfertur urna qua fratris contineantur cineres. Uti vero Aeschylus in illud vitium incidit, quod actio in Choëphoris tarde progrediatur, vel potius parum huic fabulae insit actionis, ita aliud vitium in Sophoclis tragoedia mihi animadvertisse videor, quo confirmatur Horatianum: » quandoque

(1) *Brouwer. de Soph. tragoed. pag.* 157. Quod adeo verum est, ut, inde a *v.* 85 ad finem usque tragoediae, Electra a scena non recedat, nisi per brevissimum Chori cantum, a *v.* 1380 usque ad *v.* 1394: adeoque per totam fere fabulam Electra spectatoribus offertur.

» que bonus dormitat Homerus." Non boni tantum oratoris, sed etiam poëtae in primis tragici est, ab initio ad finem usque ea proponere, quae auditores teneant, et eorum intentionem omnesque animi affectus excitent et augeant. Hoc bene fecit poëta usque ad Clytaemnestrae mortem, sed tragoediae finis laborat. In illa scena, qua matrem occidit Orestes, maximam vim tragicam exseruerat Sophocles, et, quum altius se efferre non posset, non aliter fieri poterat quin sequentia languerent. Περιπέτεια duobus constat factis, Aegisthi nece et Clytaemnestrae morte. Si Aegisthum primo loco Orestes interficit, auditores Clytaemnestrae fatum anxie exspectant, adeoque manet ad finem usque tragica voluptas; post matricidium vero, sequentia auditores non curabunt. Occisa enim Clytaemnestra, quo facto terribilius nihil excogitari potest, neminem scelesti et ignavi tyranni mors admodum movebit, ita ut ille tragoediae exitus nihil habeat quod auditores aut teneat, aut moveat aut delectet (1). Senserat hoc Aeschylus, sensit deinde Euripides: et illud ipsum, quod hic in eo non Sophoclem, sed Aeschylum secutus sit, mihi indicio esse videtur hanc ultimam Sophoclis Electrae scenam

(1) Defendi tamen quodammodo potest Sophoclis ratio, si animadvertas ad Electram omnia referri. Haec enim non Clytaemnestrae, sed Aegisthi demum morte a malis suis liberatur. At sic quoque non placet.

nam ipsis Atheniensibus non admodum placuisse: (1).

Omnia fere ab Aeschylo et Sophocle occupata, sibique praerepta videns EURIPIDES, unum quod reliquum erat arripuit, novamque Electrae miseriis calamitatem addidit. Bene enim perspexerat, ut Clytaemnestrae caedes quodammodo ferri posset, eam Electrae conditionem esse debere, ut infelicior nulla posset excogitari. Quum igitur Sophoclea Electra, patre quidem orbata, fratris destituta auxiliis, a sorore etiam amicisque deserta, a matre et Aegistho indigne habita, aedes tamen paternas inhabitet, Agamemnonisque filiae dignitatem non plane amiserit, omnibus istis malis cumulum addidit Euripides, nobilissimamque virginem domo paterna expulsam, indignis nuptiis iunctam, et paupertate vel egestate potius pressam protulit. Quod Euripidis inventum acerbius quam rectius reprehendit Schlegelius (2). Tragoediae enim in primis aptae sunt magnae istae fortunarum conversiones, non tantum quod miserationem moveant, sed etiam quod, instabilis et incertae humanae vitae conditionis recordatione, animum efferant. Quid quod eiusmodi invento unam e pulcherrimis suis tra-

(1) Aliter sentiunt *Dumolard. Dissertat. sur l'Electre de Sophocl. p.* 226. *Theat de Volt. VI.* et *Schlegel. Op. l. I. p.* 242.

(2) *Op. l. I. p.* 244. Euripidem vero πτωχοποιὸν καὶ ῥακιοσυῤῥαπτάδην iam lusit Aristophanes, *Ran. v.* 866. *v.* 1095. *Acharn. v.* 411. *v.* 424. *cet.*

tragoediis (King Lear) debeat summus poëta Britannus: quam quum iustis laudibus prosequatur Schlegelius (1), quod in ea praedicat et effert, in Euripidis Electra reprehendit. Atqui, quum artes omnes vinculo quodam contineantur, si licet, ad illustrandam tragicam poësin, picturam ad partes vocare, idem observari potest in celeberrimi nostrorum temporum pictoris Belisario: cuius nobilissimae tabulae laudes haud parum auget obvia cogitatio eundem Belisarium, quem oculorum luce privatum videmus, antea in Oriente, in Africa, in Sicilia, in Italia, victorem exstitisse: huic Imp. Iustinianum, totamque imperium salutem suam debuisse, hunc regiam dignitatem a Gothis sibi oblatam accipere noluisse, eundem a tanto honoris et gloriae fastigio decidisse, et iam senem et coecum, egestatis etiam onere premi. Eodem modo nos movet Electra Euripidea, quum Electrae, Agamemnonis olim totius Graecorum exercitus ducis filiae, opponatur Electra in montibus degens, vas aquarium in capite ferens, neque habens unde hospitibus coenam praebeat. Ipsa igitur paupertas quum tragoedia non sit indigna, eiusmodi tamen est, ut homines saepe turpes et humiles et viles reddat, adeoque cothurni dignitati non conveniat:

ἔχει νόσον
πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.

Sit

(1) *Op. l. III. p.* 162.

Sit pauper et egena Agamemnonis filia, sed nobilis maneat, et generosa, et tali digna patre. Atque hoc poëtam bene observasse nemo facile negaverit. Quod Euripides deinde fingit, Electram ab Aegistho rustico cuidam desponsam fuisse, neque hoc *per se* adeo improbandum est. Tali enim virgini nihil infelicius aut crudelius accidere poterat. Negari tamen nequit poëtam difficultates inde ortas non bene aut praecidisse aut solvisse. Quum enim sentiret indignas istas nuptias multum Electrae detrahere dignitati, nec fore ut quisquam rustici cuiusdam uxorem admodum curaret, non veras illas nuptias sed simulatas esse finxit. Inde rustici illius, boni sane viri, erga Electram εὐσέβεια, quae ridicula fere est. Inde, quum res procul ab urbe agatur, probabilique de causa Clytaemnestra in scenam produci debeat, Electrae nuntium ad matrem missum: quae fraus eo turpior est et foedior, quo magis materno amore ducta Clytaemnestra ad filiam properat. Bene igitur animadverterat Euripides quanta vis tragica Electrae personae inesset, in eo tantum reprehendendus, quod quae in hoc argumento minus apta essent non satis vitaverit.

De prologo autem, et fabulae exitu ἀπὸ μηχανῆς, quae vitia non huius fabulae propria, sed pluribus Euripides tragoediis communia sunt, quaedam dicemus infra, Cap. IV.

Quae quum ita sint, et sunt sane satis magna, non debemus Euripideae Electrae vitia tantum notare, iustasque laudes ei negare: qua in re iniquius

ctius egisse mihi videtur Schlegelius (1). Quod enim dicit, in tragoediae fine nuptias illas Electrae et Pyladis, pecuniaeque summam rustico solvendam, comoediae potius convenire (2), hoc non nimis premendum est. Ita enim accidit, ut ex uno vitio alterum consequatur. Postquam poëta rustico desponsam esse finxisset Electram, eam deinde tam indigna conditione liberare necesse habuit. Quod porro animadvertit Schlegelius, nimis diu differri agnitionem, hoc minus verum est: imo citius Orestes in Euripidea quam in Sophoclea tragoedia sorori se aperit. Praeterea tenendum est Orestem, post aliquot annos in patriam reducem, in ea versari conditione, ut prudentissime agere debeat, quod Euripides bene observavit. Quaerit etiam Schlegelius, quare rusticus non amplius conspiciatur, postquam in scenam processit senex paedagogus. Respondeo veteres poëtas Tragicos eiusmodi personas, secundas partes agentes, non admodum curasse, easque in scenam produxisse, non adeo ut ipsae aliquid agerent, quam potius ut primis personis adessent: quare, si quando earum ministerio non amplius opus esset, maluerunt veteres eas a scena ablegare, quam inutiles personas spectatoribus offer-

(1) *Op. l. l.* p. 243 *sqq.*

(2) Idem iam observerat Petr. Victorius, *in Elect. Argum.*, eundem Orestis fabulae exitum notans. Ceterum saepissime veteres poëtas tragoediis suis laetum finem fecisse, auctor est Aristoteles, *Art. Poët.* c. *XIII*, hac culpa omnium maxime vacare Euripidem referens.

ferre. Idem autem eodem iure in Aeschyli Choëphoris, et in Sophoclis Electra reprehendi potest, quod Schlegelius aut non animadvertit, aut animadvertere noluit. In Choëphoris inde a *v.* 688 nulla fit amplius Electrae mentio, quod etiam in Sophoclis tragoedia inde a *v.* 1053 de Chrysothemidis persona observandum est. Reliquae Schlegelii animadversiones pertinent ad Electrae et Orestis, Clytaemnestrae et Aegisthi personas: sed de iis in seq. Capite agemus.

Exceptis igitur iis, quae supra notavimus, vitiis, nihil est fere quod in Euripidis fabula reprehendamus. Expositio apta est et plana, actio non impeditur, ἀναγνώρισις probabilis est, περιπέτεια bene ordinata est, eoque vitio caret in quod Sophocles incidit. Accedunt sermonis elegantia, dialogi facilitas, sententiarum utilitas, narrationum ornatus, argumentorum pondus, morum veritas, et Chori cantus sublimes: quae laudes non temere negligendae sunt.

CAPUT III.

DE PERSONARUM MORIBUS.

Ut primum tragici poëtae officium est fabulae suae universam constitutionem bene ordinare, ita singulae tamen eius partes impune ab eo negligi nequeunt. Ab utroque igitur, si recte de aliqua tragoedia iudicabimus, cavendum est, ne, universi operis specioso habitu capti, eius particulas accurate investigare praetermittamus, et contra, ne quarumdam partium pulchritudine ita teneamur, ut universi vitia negligamus. Partes enim illae quae tragoediam constituunt, *fabula*, *mores*, *sententiae*, et *dictio*, tam arcto inter se continentur vinculo, ut singulae perinde necessariae sint. Ex dithyrambico et heroïco carmine orta tragica poësis non heroüm facta et laudes, sed ipsos heroës agentes et loquentes produxit. Quae nobilium rerum et actionum imitatio, ut verisimilitudine se commendet, personas requirit apte agentes, convenienter sentientes, congrue dicentes. Prima enim et praecipua imitationis laus est verisimilitudo, quae non in actione tantum, sed etiam in personarum moribus

et sententiis requiritur, ut auditores non imitatione, sed rei verae et praesenti ipsi interesse sibi videantur:

« Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
» Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes. "

---

§. 1.

De Personis in Aeschyli Choëphoris.

Cuiuscumque artis hoc proprium est, ut prima eius monumenta rudem quamdam imaginem proferant, firmitate quidem et mole, vel magnitudine et maiestate insignem; cuius vero singulae partes vel plane neglectae, vel sane non satis elaboratae artis infantiam testantur. Quod cum in aliis, tum in poësi quoque animadverti potest, cuius initia semper fere nativum et magnum, sed non satis excultum ingenium declarant. Idem de Aeschyli tragoediis dicendum est, qui artem novam, vix ab incunabulis ad puerilem aetatem progressam, acceperat, quam ita informavit, ut fere eius inventor esse videatur. Nec tamen uni homini hoc datum est, ut idem et inveniat, et inventum perfectionis laude cumulet. Magis igitur mirari debemus eum tragoediam eo protulisse, quam rudis istius pristinae simplicitatis vestigia in eo reperiri. Thespis, cuius

fa-

fabularum argumenta vix a satyrorum levitate remota fuisse videntur (1), primus actorem unum fertur adhibuisse. Phrynichus deinde seria invenit argumenta. Haec erant, si Pratinae Phliasii fabulas satyricas addas, quae acceperat Aeschylus. Phrynichi autem illae fabulae ita comparatae fuisse videntur, ut Chorus et actor, alternis vicibus canentes, alicuius rei historiam persequerentur, parumque actioni, narrationi plurimum tribuerent. Quod ipsum, etsi minus, at tamen in Aeschylo deprehenditur. Secundum quidem actorem addidit, duobusque iam non sufficientibus, a Sophocle edoctus, plures etiam produxit; sed diversae istae personae diversis et bene distinctis moribus proferendae erant, actio ita comparanda, ut personae illae necessariae essent, atque commode possent adhiberi, quod Chororum longiores cantus non sinunt. Qui, etsi breviores multo facti, longiores tamen sunt, quam ut personis singulis aptus detur locus propriae indoli et ingenio in actione explicandis, cui rei deinde, circumscripto Chori usu, singulari arte operam dederunt Sophocles et Euripides. Et quod de *moribus* dixi, idem de aliis partibus dicendum est: de sententiis, de dialogi facilitate, de digressionibus, de narrationum probabilitate, de orationis elegantia, et quaecunque ad poëticum ornatum pertinent: ut modos musicos et scenae apparatum taceam, qui tamen non fuerunt negligendi.

Quum

(1) Vid. *Bentlei. Diss. Phal. p.* 234.

Quum igitur grandi orationis genere usus, gravitate sua, et, in fabulis ordinandis, simplicitate, Aeschylus nemini sit secundus, singulas illas tragoediae partes, quae bene absolutae artis maturitatem declarant, aliis ulterius adornandas reliquit. Hoc tamen non ita accipiendum est quasi eas plane neglexerit, et, ut ad propositum redeam, quasi *mores* aut non observaverit, aut vitiose adhibuerit; hoc tantum volo, Aeschylum nullam praecipuam operam in iis posuisse, ita ut personarum propria indoles, (quam χαρακτῆρα Graeci vocant) actionis varietate et motu, atque perturbationum et affectuum vi et impetu, non satis proferatur et emineat: quod tragoediae patri quisque facile condonabit, qui noverit, quanto difficilius sit invenire, quam inventis uti. Veniamus aliquando ad ipsam fabulam.

Primo obtutu mirari posset aliquis *Choëphororum* nomine hanc tragoediam insigniri: non quod insolitum sit nomen, aut quod raro apud veteres fabulae a Choro nomen accipiant; sed quod poëta tantum facinus canens, tamque nobiles personas in scenam proferens, non potius primas partes agentis personae nomen tragoediae suae praefixerit, uti Sophocles et Euripides. Iam vero quaeri potest quaenam sit ista persona cui primae mandatae sint: quod non ita facile est decernere. Neque enim profecto Electra est, quae apud Aeschylum secundas tantum partes agit: nec vero Clytaemnestra quae tantum sceleris poenam subit, multoque minus alii.

Quid

Quid si Orestem esse dicamus? Vereor an vere. Sane si Orestem per se spectamus, ne hic quidem prima persona dici potest. Pendent haec omnia ab iis quae in sup. Capite de fabulae huius argumento et proposito fusius exposuimus. Primas partes in Choëphoris agit Iustitia illa Divina, quae lento sed certo gradu procedit, atque commissi sceleris poenas exposcit. Primas partes agit necessitas illa atque aeterna lex, quae par pari refert:

> νόμος μὲν φονίας σταγόνας
> χυμένας ἐς πέδον, ἄλλο προσαιτεῖν
> αἷμα.

Primas partes agit Agamemnonis umbra, quae ex sepulcro exsurgere, viventi Clytaemnestrae imminere, et filium ad rem gerendam impellere, quae continuo adesse videtur. Inde frequentes perpetratae caedis, Furiarum, Iustitiae, ultionis mentiones, inde etiam *Choëphororum* nomen. Mulieres enim illae, tristi vultu et habitu cum libationibus ad sepulcrum accedentes, ipso ingressu totius tragoediae argumentum declarant. Sophoclis fabula non tantum inscribitur *Electra*, sed tota est *Electra*, ad quam omnia referuntur; Aeschyli vero tragoedia *Orestes* dici non possit. Eius enim argumentum non est Orestes, sed *Agamemnonis caedis ultio*, quam si alius quidam persequeretur, eadem tamen maneret tragoedia. Orestes igitur, si illud ita accipias, (ut scil. ad eum omnia referantur, ut totius tragoediae medium quoddam sit et argumentum,

tuni, uti Sophoclis Electra) hoc sensu primas partes in hac fabula agere dici nequit, si vero intelligas Iustitiae illum tanquam instrumentum adhiberi, easque persequi quae illa iubeat, ita ut actio ei committatur, quae tragoediae argumentum contineat, hoc sensu non repugno quin ei prae ceteris primas tribuamus: quare primo loco memorandus erit

Orestes, Impiger et fortis, in ipso iuventutis flore, ferox et audax, inauditum facinus aggressurus, nec tamen illud perpetrare dubitans, talis est Aeschyleus Orestes. Multa sunt quae eum ad maternam caedem incitent: gloriae paternae recordatio, Agamemnonis fatum, interfectorum securitas et superbia, Argivorum talibus dominis subiectorum indigna conditio, iustitiae denique sensus, atque Apollinis iussa et minae. Accedit quod ipse puer olim peregre in Phocidem missus, paternis regno et opibus privatus, nullisque materni amoris documentis Clytaemnestrae devinctus, non matrem occidere, sed impiam mulierem iusta poena persequi sibi videatur.

Postquam igitur causae iustitia, oraculorum auctoritate, et patris inulta nece excitatus, matrem interficere constituit, in proposito suo stat, nec dubitat amplius aut haeret. Patris et Deorum precatur auxilia, nihilque metuit, modo felici utatur successu. Humanae tamen naturae particeps, sororis querelis, et dura, ad quam redactus est, necessitate motus, animum despondet:

ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν. v. 432.

Mox vero eiusdem Electrae et Chori monitis, patrisque tumuli adspectu confirmatus, omnem miserationem ultionis necessitati postponit: quare soror eum ad rem exsequendam propellit:

ἐπειδὴ δρᾶν κατώρθωσαι φρενί,
ἔρδοις ἂν ἤδη. — v. 505.

Audito Clytaemnestrae somnio magis etiam excitatur:

ἀλλ' εὔχομαι γῇ τῇδε, καὶ πατρὸς τάφῳ,
τοὔνειρον εἶναι τοῦτ' ἐμοὶ τελεσφόρον. — v. 533.

Quomodo rem perficere constituerit, Choro deinde significat, ea securitate animique tranquillitate, quae virum constantem, et in proposito susceptoque consilio permansurum declarat. Quae animi tranquillitas iustaeque causae conscientia magis etiam apparent, quando, hospitis Phocensis habitu adsumto, matris adspectu non perturbatur, sed falso de Orestis morte nuntio ingressum in aedes parat, atque callide suique compos se ignorare simulat quinam sint ii, quibuscum colloquatur:

εἰ δὲ τυγχάνω
τοῖς κυρίοισι καὶ προσήκουσιν λέγων,
οὐκ οἶδα, τὸν τεκόντα δ' εἰκὸς εἰδέναι. v. 677.

Interfecto vero Aegistho, mortem detrectantis matris precibus movetur Orestes, *v.* 886:

Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν;

Quae verba non ita accipienda sunt, quasi ipsum incepti poeniteat, aut de iraculorum fide dubitet; sed senserat poëta hoc loco admonitione quadam opus esse, qua tanti facinoris necessitas non Oresti tantum, sed etiam auditoribus in mentem revocaretur. Quare Pylades respondet:

ποῦ δὴ τὰ λοιπὰ Λοξίου μαντεύματα
τὰ πυθόχρηστα;

Quare Deorum tantum voluntatis memor Orestes, nihil amplius aut haeret aut moratur:

κρίνω σὲ νικᾶν, καὶ παραινεῖς μοι καλῶς.

Nec denique re peracta, aut aliter sentit, aut facti poenitentiam agit, dolorisve signa prodit; sed etiam tum se recte et iure egisse universum populum contestatur. Ipsa illa fuga, qua a Furiis agitatus Delphos petit, imaginem refert viri, non sero et inutili luctui indulgentis, sed constantis et fortis, maiorique numinum vi et aeternae necessitatis legibus cedentis, quibus resistere humana non valeat (1).

Cho-

(1) Cf. *Schlegel. Op. l. I. p.* 240.

Chorus (1) et Electra, quodammodo tanquam una persona considerari possunt, eoque sensu secundas in hac fabula partes agunt. Scilicet Oresti in patriam reduci, caedisque paternae ultionem paranti, opus est auxilio quodam, et sociis, quorum monitis insidias suas prudenter instruat. Hic est personae Electrae finis. Haec querelis suis et repetita Agamemnonis interitus mentione fratrem ad propositum facinus propellit. Haec ubi animo abiectum videt, eius indignationem movet:

ἐμασχαλίσθη δ᾽ ἔθ᾽ ὡς τόδ᾽ εἰδῇς. v. 433.

Haec magis etiam eius iram excitat et auget, quam indigne ipsa habeatur referens:

ἐγὼ δ᾽ ἀπεστάτουν
ἄτιμος, οὐδὲν, ἀξία.
μυχοῦ δ᾽ ἄφερκτος πολυσίνου, κυνὸς δίκαν,
ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη,
χαίρουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένα. v. 438.

Ceterum virgo invicti et constantis animi, magnaeque in patrem pietatis, Clytaemnestram et Aegisthum tam implacabili prosequitur odio, ut, re in periculum adducta, ne tum quidem ulla aut poenitentia aut misericordia moveatur, sed sui compos simulato luctu falsae de Orestis morte narrationi maiorem fidem addat.

Cho-

(1) Duplex apud veteres Chori munus egregie illustrat *Schlegel. Op. t. I. p. 115 seq.*

Chorus etiam pro virili parte rei gerendae favet, Orestemque adiuvat, et eum vel ad agendum impellit, vel prudenter monitis eius temeritatem moderatur.

» Actoris partes Chorus officiumque virile
» Defendat."

Nutricem igitur monet ut partem tantum mandati exsequatur, ne Aegisthus armatos secum ducat satellites, *v.* 760, et ipsi deinde Aegistho haesitanti persuadet ut aedes ingrediatur, *v.* 835. Nec minore benevolentia, facinore peracto, Orestem prosequitur, sed blandis et amicis verbis vanos eius terrores sedare conatur, *v.* 1047.

Quod autem ad universum Chori officium attinet, quod in eo versatur, ut veri et recti, atque iustitiae, moderationis, et prudentiae partes tueatur, etiamsi Chorus in fabula nostra hoc munere bene fungatur, nec quidquam

medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, et haereat apte,

adeo tamen frequentes sunt eius ad Deos preces, tam longi cantus, ut actioni, et personarum moribus explicandis parum relinquant: quod vitium iam supra notavimus.

Aegisthus et Clytaemnestra, eandem quam in *Agamemnone* indolem produnt. Haec vere regia dig-

dignitate hospitem Phocensem excipit, atque deinde, ubi mortem subterfugere se non posse videt, turpi deposito metu, Furias facti sanguinis poenas exacturas filio minatur, mortemque fortiter oppetit, quam armis propulsare repentino Orestis adventu prohibita fuerat: vid. v. 876. Ille autem, in Choro interrogando, v. 825. *sqq.*, arrogantiam istam ostendit, quae timidi et superbi simul tyranni propria est. Ceterum de Aegisthi persona infra in Euripidis fabulae recensione plura monebo. Omnium optime vetulae GILISSAE mores servavit poëta, in eo tamen reprehendendus, quod ea, quae de Orestis pueritia memorat nutrix, cothurni dignitati parum conveniant.

---

§. 2.

De Personis in Sophoclis Electra.

Quod poëtis universe suadet et commendat Aristoteles (1), ut, in personarum moribus informandis, bonorum pictorum exemplum sequantur, qui etiamsi naturae similitudinem consectentur, imaginum tamen pulchritudine verum ipsum superare conantur: hoc ita fecit Sophocles, non ut meliores, sed ut maiores et fortiores homines, quam fert

(1) *De A. P. c. XV.* 11.

fert humana natura, in fabulis suis exhiberet. Non igitur in personarum suarum moribus veritatem secutus est, sed eo, quo toto animo ducebatur, magni et pulchri sensu, nobiliorem quamdam sibi proposuit hominis speciem, qualem in heroïcis temporibus fuisse sibi fingebat, quando recentis adhuc et incorruptae humanae naturae vires novae et infractae nobilissimas virtutes cum ingentibus vitiis coniungerent. Hinc illa Antigona, quae, sanctissimo fraterno amore ducta, non virginis, sed viri fortitudine et constantia, tyranni minas et ipsam mortem contemnit, modo fratrem sepulturae prosequatur honoribus. Hinc Aiax ille, qui intimo honoris et gloriae sensu in caecum furorem incidit, vitaeque, vel hac una culpa dedecoratae, mortem anteponit generosam. Hinc ille Oedipus, qui tantas poenas a se ipse repetit facinorum, quae inscius commiserat. Hinc Electra, quae matrem implacabili prosequitur odio, sed patris memoriam incredibili pietate colit.

Singularem in Electra operam Sophocles in moribus posuisse videtur, ita ut haec fabula hoc nomine ceteris eius tragoediis et vel Philocteti et Antigonae antecellat. Non apti tantum et bene distincti sunt mores, sed etiam ab initio ad finem usque sibi constant. *Electra* propriis malis parum afflicta, nullis periculis deterrita, ultionem tantum cogitat; et quo magis omni spe et auxilio destituitur, eo magis invicta irruenti adversae fortunae sola resistit; timida semper et lenis *Chrysothemis* con-

constanti et forti opponitur sorori. *Orestes*, patris tantum memor et propositi tenax, non perturbatur, non angitur, non dubitat. *Clytaemnestra* ipsa illa anxietate et sollicitudine, qua Agamemnonis caedem excusare conatur, sceleris conscientiae stimulis se agitari ostendit, quod deinde superbia sua et iracundia magis etiam confirmat. Senex ille *Paedagogus* prudens semper et cautus iuvenilem temeritatem reprimit et moderatur. Ut verbo dicam, nulla quidem est Sophoclis fabula in qua tam variam et diversam singulis personis suis tribuerit indolem, sed nulla est etiam in qua mores tam bene observaverit, vel tantam iis operam dederit. *Chori* quoque cantus, iustis magis finibus circumscripti, omnesque ad ipsum tragoediae argumentum pertinentes, neque inutiles querelas, nec saepius repetitas preces aut sententias proferunt: atque ita in fabula illa Chorus agit, non tantum ut *personae partes* sustineat, sed etiam ut, iustitiae et moderationis sensu, quo continuo ducitur, utilissimae et nobilissimae personae partes tueatur. His igitur omnibus Aeschylum facile vincit Sophocles, qui rudem, quam ab illo acceperat, artem ita excoluit, ut perfectiorem, numerisque suis multo absolutiorem exhiberet. De singularum autem Sophoclis personarum moribus dicere, quod in Choëphororum recensione feci, et longum est et inutile, quum eos tam accurate expresserit poëta, ut reprehendendi nullam fere, laudandi insignem reliquerit

mer-

materiam. Quaedam igitur tantum de Electrae et Orestes personis hic subiungam.

Saepius animadvertere mihi visus sum eos, qui veterem auctorem vel commentario instruerent, vel quacunque scriptione illustrarent, hoc munere ita fungi, ut eum laudibus tantum efferrent, eiusque vitia vel silentio praeterirent, vel studiose excusare conarentur, quasi *laudatoris* quoddam suscepissent munus: eos contra, qui sui temporis scriptorem recenserent, eius vitia tam accurate persequi, tamque severa uti reprehensione, ut non *criticum*, i. e. iudicem et aestimatorem, sed *reprehensorem* et *vituperatorem* agere viderentur. Quod an invidiae cuidam tribuendum sit, qua aequalium suorum laudibus detrahentes, suas augere homines sibi videantur, dum antiquorum non vereantur agnoscere merita, equidem nec scio, nec, si sciam, dicere ausim. Hoc igitur mitto:

ἐῶ τοῦτ' ἀσαφὲς ἐν κοινῷ σκοπεῖν.

Illud sane profiteri non dubito me saepe miratum esse, quam acute et ingeniose doctissimi viri omnia undique colligerent, ut dilecti cuiusdam scriptoris denegatas laudes vindicarent, vel eum tanquam omnibus immunem vitiis praedicarent. In quam reprehensionem etiam vir eruditissimus, et elegantissimae doctrinae, P. van Limburg Brouwer (de quo tamen, quod modo imprudentius de invidia effutivi, dictum nolim) interdum incidisse mihi videtur: qui tanta admiratione Sophoclem complectitur, ut

non-

nonnunquam studiosius quam verius, si quid erravit, illud non in vitium, sed in laudem conferat. Atqui, uti iustis laudibus detrahere turpe est, ita contra auctorem aliquem non tanta veneratione prosequi nos oportere existimo, ut laudibus tantum eum cumulemus, vitia, quibus nullus auctor, nullum opus, nulla res humana caret, aut non videamus, aut negligamus, aut excusemus. Qua in re hanc etiam cautionem adhibendam esse censeo, ne temere propositum aliquod ei tribuamus, de quo fortasse ne cogitavit quidem. Quod in huius Sophoclis tragoediae recensione Brouwerus fecisse mihi videtur, cuius sententiae nostram, uti par est, submittentes, quid tamen ipsi de illis in Electra personis sentiamus exponemus. Quare primum de Electra, deinde de Oreste dicemus.

Electrae indolem et mores uti optime illustrat Cl. Brouwer (1), eiusque vim tragicam praeclare exponit (2), ita celebratum illud, παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν, frustra excusare conatur (3). Haec fere sunt eius argumenta. » Electra, etsi iusti-
» tiae amore et pietate excitetur, magnoque odio
» matrem prosequatur, per totam tamen fabulam
» ad hunc locum usque de eius caede non cogitat.
» Primum tantum familiae cladem luget, et de
» Deorum iniquitate queritur: deinde Clytaem-
» nes-

(1) Op. l. p. 157.
(2) l. l. p. 158.
(3) l. l p. 162.

» nestrae argumenta redarguens, patrem iniuste in» terfectum esse contendit, ita tamen ut iure suspi» cari possis, *nec patris illam exitii causa a matre* » *poenas repetituram*: tum, fratris morte nuntiata, » *Aegistho tantum* manus inferre cogitat. Fratre » denique adhortante, *ipsius veluti afflatu anima-* » *ta*, et eadem mentis concitatione agitata, audito » matris clamore, veluti *rabie abrepta* verba illa » profert, παῖσον, etc." Confiteor haec veritatis quodam colore se tueri. Si enim infelix tantum et querula patris fatum miseratur, si deinde omni auxilio destituta ipsa *Aegisthum tantum*, virum scelestum et odiosum, occidere constituit, si de matris caede non cogitavit, si ab Oreste subito apparente ad hanc caedem excitatur, si repentino eius adventu, et inexspectato matris necandae consilio agitata, furore quodam et rabie abrepta, fratrem ipsa verbis istis incitat et stimulat, tunc (etiamsi atrox est hic iste filiae erga matrem furor, omnibusque repugnat naturae legibus, quae aeternis caritatis vinculis liberos parentibus adstrixit) minus sane reprehensionis habet illa exclamatio. Sed haec omnia vera esse nego. Initio quidem Electra patris mortem deplorat, sed simul Deos precatur ut eius interfectores iusta poena persequantur, adeoque non *Aegisthum tantum*, sed etiam Clytaemnestram. Furias primum adloquitur, *v.* 115:

τίσασθε πατρὸς φόνον ἡμετέρου. κ. τ. λ.

Deinde Iovi ultionem committit, *v.* 204:

οἷς θεὸς ὁ μέγας Ὀλύμπιος
ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι.

Aperte magis etiam de matris caede cogitat, ubi eam et Aegisthum rependere debere ait ἀντιφόνους δίκας, *v.* 242. Spem continuo foverat Orestem aliquando rediturum, nimirum ut patrem ulcisceretur, *v.* 804. *v.* 947. Hoc Chrysothemidi suadet ut Agamemnonem precetur, *v.* 448:

παῖδ' Ὀρέστην ἐξ ὑπερτέρας χερὸς
ἐχθροῖσιν αὐτοῦ ζῶντ' ἐπεμβῆναι ποδί.

Quod si quis dubitet in iis Clytaemnestram etiam intelligi, omne dubium solvunt Electrae verba quibus urnam alloquitur, qua fratris cineres contineri arbitratur, *v.* 1142:

μαίνεται δ' ὑφ' ἡδονῆς
μήτηρ ἀμήτωρ, ἧς ἐμοὶ σὺ πολλάκις
φήμας λάθρα προὔπεμπες, ὡς φανούμενος
τιμωρὸς αὐτός.

Bene igitur noverat Orestem, si unquam rediret, eo consilio venturum, ut non Aegisthum tantum, sed etiam Clytaemnestram interficeret, adeoque deinde ei non ἀπροσδοκήτως venit illa matris caedes. Huc etiam pertinent illa, quibus subobscure primum Clytaemnestram monet, ut caveat ne μετάγνοιαν ipsa sibi imponat, *v.* 574, deinde vero apertius ei minatur, de Oreste loquens, *v.* 596:

X 2 ὃν

ὃν πολλὰ δή με σοὶ τρέφειν μιάστορα
ἐπῃτιάσω· καὶ τόδ', εἴπερ ἔσθενον,
ἔδρων ἄν, εὖ τοῦτ' ἴσθι.

Quod autem, accepto de fratris morte nuntio, Electra Aegistho tantum mortem inferre cogitat, illud, etiamsi verum esset, ad rem nostram non pertineret. Hoc enim tantum quaerimus, utrum de *matris* morte non cogitaverit, adeoque ille furor, quo verba, παῖσον etc. profert, repentinae perturbationi mentisque agitationi tribuendus sit, an vero irae veteri et memori, quae fratris adventu et matris diu multumque sperata nece in rabiem convertitur. Sed de hoc ipso dubitari potest. Electra enim Chrysothemin adhortatur ut secum, Oreste mortuo, patris ultionem suscipiat, et propterea fortasse, *v.* 950. *sqq.*, Aegisthum tantum memorat, quod de Clytaemnestrae caede tanquam facili nihil dicere necesse habet, modo timidam sororem ad Aegisthum necandum impellere possit. Confirmatur illud eo quod in sequentibus plurali numero utatur, adeoque etiam matrem intelligat, *v.* 974:

ὦ τοῖσιν ἐχθροῖς — προὐστήτην φόνου (1).

Atque hoc sensu etiam Chrysothemis sororis verba ac-

(1) Animadvertendum est vocem ἐχθροὶ in hac tragoedia passim usurpari de Aegistho et Clytaemnestra: v. g. *v.* 66, 447, 801, 1290. *etc.*

accipit, eique respondens, non de Aegistho tantum, sed etiam de Clytaemnestra loquitur, et pluralem usurpat numerum, *τῶν ἐναντίων*, *v.* 993, *τοῖς μὲν*, *v.* 994 (1). Electra igitur audito fratris proposito, *v.* 1291,

> *γελῶντας ἐχθροὺς παύσομεν τῇ νῦν ὁδῷ.*

non perturbatur, neque *eius afflatu animatur*, aut quacunque *mentis concitatione agitatur*, (quippe quae tantum diu exspectatam rem audit, quamque saepe speraverat) sed placide respondet, *v.* 1297:

> *ἀλλ', ὦ κασίγνηθ', ὧδ' ὅπως καὶ σοὶ φίλον,*
> *καὶ τοὐμὸν ἔσται τῇδ'.*

Non denique satis intelligo quomodo cum furore illo componi possint, quae in hac terribili scena sequuntur Electrae (2) verba, quibus Orestem interrogat, *v.* 1420:

> *Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ δέ;*

Non sane affectuum impetu plane perturbata est, quae de tanto facinore tam placide sciscitatur: praesertim quum Clytaemnestrae clamores rei exitum sa-

(1) Ita Chorus etiam in sequentibus, *v.* 1069, *διδύμαν ἐλοῦσ' Ἐρινύν*, i. e. Aegisthum et Clytaemnestram.

(2) Ita enim versuum distinctionem, Erfurdtium corrigens, restituit Hermann.

satis declarassent. Nec minus sui compos est Electra, quando simulata deinde submissione Aegisthum fallit, *v.* 1444. *sqq.*

Haec igitur omnia colligenti mihi ista Electrae verba nullam eiusmodi, qualem Cl. Brouwer proposuit, excusationem admittere videntur. Magna et praecipua eius indolis nota est *vehementia.* In nulla re sibi temperare potest. Media refugit, extrema amplectitur. Magnus in ea iustitiae amor, summa pietas, insignis honoris et gloriae sensus. Generosa, fortis, et constans, nihil metuit, pericula ipsamque mortem contemnit, aliis parere, et vel ipsi necessitati se submittere nescit. Uti vero amicis se devovere non dubitat, ut omnibus animi viribus et incredibili amore eos amplectitur, ita in inimicos est ferox et invicta, et semper et ubique implacabili eos prosequitur odio. Agamemnonem, regem potentissimum, totius Graecorum exercitus ducem nobilissimum, patrem vero carissimum, ab expeditione omnium celeberrima reducem, nefarie trucidari viderat. Fratrem Orestem imminenti caedi vix subduxerat. Scelesta mater turpi nupserat adultero. Aegisthus, superbia elatus, impunitate exsultans, regiam Agamemnonis sedem et imperium occupaverat. Ipsa denique neglecta et contemta, indigne et contumeliose habita, aedibus paternis fere expulsa, hoc etiam sibi relictum non habet, ut patrem lugere, et querelas libere effundere possit. Quantae tali virgini indignationis et irae, quantae memoris et aeterni odii causae! Non potest illud nisi sangui-

gui-

guine expleri: et tot tantorumque malorum auctores non odit tantum, sed horret potius. Clytaemnestrae igitur et Aegisthi caedem expetit, tanquam unicum malorum suorum remedium aut solamen. A Diis vindictam implorat, *v.* 115. *v.* 204. *cet.* Hac unica spe sustentatur, Orestem rediturum paternae caedis ultorem, *v.* 804, 948, 1151. Hoc cupit, hoc Deos orat, hoc matri minatur, hoc unum cogitat. Auget hanc spem matris somnium, *v.* 452, auget indignationem sororis lenitas, *v.* 322, augent constantiam et fortitudinem Aegisthi minae, *v.* 371. *sqq.*, auget iram et odium Clytaemnestrae defensio, *v.* 520. *sqq.* Fratrem periisse accipiens, animum despondet, *v.* 812. (1): mox vero sororis adspectu excitata, eam adhortatur ut defuncti Orestis vices suscipiant, *v.* 942: et huius quoque auxilio destituta, sola rem adgredi constituit, *v.* 1014. *v.* 1315, nec mortem detrectat, modo patrem ulciscatur: cf. *v.* 392. Ipsius denique urnae adspectu, qua fratris continentur cineres, tanto afficitur dolore, ut miseriae et luctus verissimam imaginem exhibeat, *v.* 1122. *sqq.* Sed quo magis depressa fuit, eo magis insperato effertur gaudio. Fratrem agnoscit, videt, tenet, amplectitur: non dubitat amplius aut sperat, iam non incertus est rei exitus: fratrem ipsum habet: venit tandem dies, quo sceleris poena repetetur, quo odium sanguine satiabitur: favet occasio, *v.* 1364, senex adhortatur et urget. Vincit

gau-

(1) Ita enim illud παρεῖσ' ἐμαυτήν explicat Hermannus.

gaudium ultionis inexplebilis cupiditas. Laetitiam animo recondit Electra, et composito vultu fratrem in aedes inducit. Audita deinde Clytaemnestrae voce; primum sibi temperat, et horrendum gaudium falsa tranquillitatis specie tegit et reprimit, quasi res, quae agitur, ad ipsam non pertineat, v. 1402:

βοᾷ τις ἔνδον.

Tum, iterato clamore,

ἰδοὺ μάλ' αὖ θροεῖ τις.

Mox vero se continere diutius nequit, sed furore abrepta fratrem ad caedem incitat. Scilicet non repentina quadam et violenta mentis agitatione corripitur, sed, nunc tandem, quod dies et noctes expetiverat, adepta, irae et odio implacabili indulget, et furiis adcensa, ne matri parcat fratrem adhortatur:

παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν.

Neque, re peracta, sibi persuadere potest se voti tandem compotem factam esse. Non matris sufficiunt clamores, non Orestis sanguine respersi adspectus: quare tam laetam rem ipsius fratris confirmatione indigere arbitratur, v. 1416.

Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ δέ;

Aegisthi vero adventu, gaudium et iram simul, qua agitatur, iterum continere et moderari cogitur, ut si-

simulato luctu, et quasi necessitati cedens, omnem suspicionem removeat, *v.* 1460. Sed quo magis animi motus aegre repressit, eo apertius, quum eum mortem effugere non posse videat, veram indolem prodit. Nullam defensionem admittit, neque eius morte contenta est, sed sepulturae etiam honores ei negat, ut hoc quoque malorum solamine fruatur, *v.* 1485.

ὡς ἐμοὶ τόδ' ἂν κακῶν
μόνον γένοιτο τῶν πάλαι λυτήριον.

Haec, nisi fallor, est Sophoclis Electra. Illud sane in hac expositione quaesivi, ut non quod ipse somniassem Sophocli tribuerem, nec qualis esse potuisset Electra ostenderem; sed potius ut Sophoclis consilium ex verbis et sententiis, quas ipsi tribuit Electrae, diligenter colligerem. Huius personae mores multi acerbe reprehenderunt, multi summis extulerunt laudibus. Utrique fortasse studiosius quam verius. Nostris quidem moribus non probaretur Electra; sed non nobis, verum Atheniensibus scripsit Sophocles, quibus sane haec tragoedia adeo placuit, ut eam victoriae praemio ornarent. Qua in re utrum nostri temporis hominum an vero Atheniensium maioris ponderis sit iudicium, equidem non decernam. Quod autem supra, in huius §. principio, universe de Sophoclis personarum moribus monui, illud hoc etiam loco dicendum est. Non ad humanae naturae veritatem Electrae suae mores accurate expressit poëta, sed maiorem eam effinxit cum vitiis,

tiis, tum virtutibus. Quod si ista animi violentia reprehensione non caret, hoc certe negari nequit, Electram pietate, constantia, et fortitudine sua, singularem quemdam excitare magnitudinis et pulchri sensum.

Aliam et quidem contrariam difficultatem praebet Orestis persona. Uti enim Electrae furores terrorem incutiunt, ita horrorem ciet animi tranquillitas, qua ille matris caedem persequitur. Non dubitat, non haeret, non perturbatur, nulla misericordia ducitur, nec deinde facti movetur poenitentia. Propositi tantum memor et tenax, impavidus, invictus, et immotus, ipsam Divinae Vindictae refert imaginem. Quum autem tanta securitas in tanto facinore nec veri similitudinis neque ulla laude se commendet, et pietati plurimum repugnet, multi illud vel explicare vel excusare conati sunt. Ingeniose sane Cl. Brouwer, vellem vere. Eius sententia huc redit (1). » Orestes ab Apolline » missus ut patris necem ulciscatur, mente divina » agitatus, Deorum iussis ita obsequitur, ut Insti- » tiae Divinae minister, vel fere ipse Deus videa- » tur. Quum enim poëta nullum Electra celsio- » rem vel praestantiorem hominem efformare pos- » set, ab humanis sese ad divina sustulit, huma- » namque mentem ab Oreste removit, et divino » eum spiritu animavit. Non homo videtur qui » matrem, sed Deus qui impiam adulteram iusta » poe-

(1) Cf. *Op. l. p.* 161. *seq.*

» poena persequitur." etc. Hanc autem *Dei* alicuius personam uti in reliquis fortasse satis bene, ita certe in tragoediae fine male sustinet Orestes, quo loco Aegisthum contumeliose adloquitur, *v.* 1477. *v.* 1495. *v.* 1500, eumque occisurus, iram simul et odium prodit: cuiusmodi animi affectus a Divina natura profecto alieni sunt. Sed in eo potissimum dissentire me profiteor a Cl. Brouwero, quod facinoris ipsius Vir Cel. auctorem habeat Apollinem, cuius *iussa* exsequens Orestes, ipsum Apollinem referat et agat. Quodsi probare possum Orestem, non tam *oraculorum auctoritate*, quam *motu proprio* ductum, matris caedem persequi, tunc certe omnia ista de *divino spiritu*, *Dei persona* etc. nullo modo defendi possunt. Neque hoc difficile est. Saepius autem animadverti trium Tragicorum (praesertim in his fabulis) interpretes in illum errorem incidisse, ut ea confunderent quae a singulis tradita essent, et in unius poëtae interpretatione ea minus apte adferrent, quae alicubi in alio legissent (1), sive memoria lapsi, sive non satis attendentes poëtas illos varias saepe sequi traditiones. Illud hoc igitur etiam loco committere videtur Cl. Brouwer, et Aeschylum cum Sophocle confundere. Nihil enim eiusmodi in Sophocle invenio: quin po-

(1) Interdum etiam alterius versus alteri tribuunt. Cuiusmodi triplicem errorem Brunckii Euripidea pro Sophocleis venditantis notat Porson. *Adversar.* *p.* 267. *ad Euripid. Bacch.* *v.* 1129.

potius hanc Orestis animi tranquillitatem non oraculorum auctoritati tribuendam esse, exinde confici potest, quod saepius, ante quam Delphicum adierat tripodem, Electrae clam per nuntios promiserat se rediturum ut a patris interfectoribus poenas repeteret, *v.* 166. *v.* 313: neque Aegisthum tantum, sed Clytaemnestram etiam iis intelligi, diserte significatur, *v.* 1150. *sqq.* Ipse in exsilio degens, hoc matri minatus erat, *v.* 772. Hoc igitur postquam *iam antea* motu proprio constituisset, accessit *deinde* Apollinis oraculum, quo non ad agendum *impellitur*, sed tantum in proposito suo *confirmatur*. Praeterea illud oraculum quale fuerit operae pretium est considerare. Quid est quod Apollinem rogarat Orestes? Rogavitne utrum patris ultionem susciperet, an minus? Rem ipse declarat, *v.* 32:

ἱκόμην τὸ Πυθικὸν
μαντεῖον, ὡς μάθοιμ' ὅτῳ τρόπῳ πατρὸς
δίκας ἀροίμην τῶν φονευσάντων πάρα.

Non igitur rogavit utrum rem persequi ipsum oporteret an minus, (quippe hoc iam antea secum constituerat) sed de modo tantum, ὅτῳ τρόπῳ, quaesivit. Sequitur etiam Apollinis responsum non iussum aliquod continens, sed modum tantum rei bene gerendae significans, *v.* 36:

ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ
δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς.

Qua-

Quare quum non Apollinis auctoritate tantum facinus susceperit Orestes, eius securitas et tranquillitas huic causae tribui non possunt. Quae igitur a Cl. Brouwero proferuntur, ipsius potius ingenii debentur acumini, quam iis, quae Sophoclis nobis praebet fabula (1).

Jam vero quum facilius esse constet de re quadam pronuntiare quid non sit, quam quid sit, iure a me peti potest, ut quid ipse sentiam declarem. Quod autem saepius mihi accidit, ut de Orestis persona cogitans incertus haesitarem, hoc idem Sophocli accidisse arbitror. A vulgaribus enim et receptis traditionibus recedere non poterat. Necesse erat ut Orestes matrem occideret, ut hoc facinus sciens et

(1) Loca, quae sententiae meae repugnare videntur, ipse adponam. Videtur enim illud oraculum alia quaedam iussisse praeterea, quae *v.* 36 significantur: v. g. ut Orestes libationes in patris tumulo effunderet, *v.* 51. *v.* 82. Tum vero dicitur Orestes *πρὸς θεῶν ὡρμημένος*, *v.* 70. Quippe eum *θεοὶ ἐπώτρυναν μολεῖν*, *v.* 1261, id est, Apollo, *v.* 1264, Deus Oresti favens, *v.* 1302, qui Clytaemnestrae etiam caedis suasor exstiterat, *v* 1421. Atqui de locis illis facile disputare possem: v. g. ex *v.* 51. *v.* 82. *v.* 1302 nihil probari, versum 70 alio sensu accipiendum esse, post versum 1261 alium versum deficere, adeoque ex hoc loco nihil certo confici posse, cet. Sed de iis contendere nolo. Oraculum enim illud qualecunque demum fuerit, hoc sane patet Sophocleum Orestem iam antea motu proprio matrem occidere constituisse. Quidquid igitur Apollo iusserit, vel minus, eius quidem oraculo Orestes *ἐποτρύνεσθαι*, propelli, potuit; sed ita ut in proposito suo tantum *confirmaretur*. Quare animi illa tranquillitas certae et constanti voluntati tribuenda est, eiusque *origo* non in Dei iussis, sed in ipso Oreste quaerenda est.

et volens perpetraret. Hoc factum pium idem et nefarium in scenam proferre difficile erat; sed quanto difficilius huius facti auctoris mores et varios animi motus digne et vere exprimere! Quanto difficilius Orestem effingere nec nimia, in tanta re, constantia et ferocitate odiosum, nec contra timiditate et muliebri anxietate ridiculum! Quanto difficilius matricidam spectatorum oculis continuo subiicere, ita ut eo solo totius tragoediae argumentum contineretur! Omnes istas difficultates prudenter evitavit Sophocles. Orestem a scena removit, eique substituit Electram, in quam omnia contulit. Huic personae tantam operam dedit, ut auditores non de Oreste et Clytaemnestrae caede, sed de Electrae tantum miseriis cogitarent. Orestis mores diligenter elaborare reformidavit, eamque personam intactam plane reliquit, neque ullam in ea posuit operam, hoc tantum continuo quaerens ut spectatorum oculos ab Oreste averteret. Haec est causa quare Orestes, postquam breviter propositum suum exposuit, inde a *v.* 85 usque ad *v.* 1094, non prodeat. Haec est causa quare parce adeo loquatur, neque ullum fere animi affectum prodat. Haec est causa quare nec iram ostendat, nec miserationem, nec metum, nec indignationem, nec gaudium, nec dolorem. Nullis egregiis sententiis, nullis praeclare dictis auditorum studia excitat. Non queritur, non luget, nec minatur, aut clamat, aut furit. Causas, quibus ad agendum impellitur, nusquam late explicat, sed tangit tantum: Clytaemnestra ma-

maritum impie necaverat: Aegisthus sceleris socius in Agamemnonis bona invaserat, regnumque occupaverat: cf. *v.* 1286. *sq.* Exsul, opibus et imperio privatus Orestes harum rerum auctores iusto prosequitur odio, unde saepius in hac fabula eos communi ἐχθρῶν nomine designat: v. g. *v.* 66. *v.* 1291. Accedit insignis in sororem amor, et quidem tantus ut, quum in ceteris ferreus esse videatur, huius tamen miseriis et querelis moveatur, *v.* 80. *v.* 1171. *sqq.* Ut igitur patrem ulcisceretur et regnum recuperaret, ab Aegistho et Clytaemnestra poenas repetere iamdiu constituerat: accesserat Apollinis oraculum. Propositum suum in tragoediae initio, sine ulla disceptatione aut dubia mentis agitatione, simpliciter et placide declarat, quod in eiusdem fine constanter perficit. Orestes matrem interficiens, apud Aeschylum primas agit partes; apud Sophoclem vero adhibetur tantum tanquam instrumentum aliquod, quo primae personae, i. e. Electrae misera conditio in melius convertitur. Sophocleae enim fabulae περιπέτεια in primis spectari debet quatenus ad Electram pertinet. Haec igitur Orestis animi tranquillitas neque oraculorum auctoritati tribui potest, neque ita explicari debet, quasi propria sit indolis eius et morum; sed inde potius repetenda est, quod Sophocleus Orestes *moribus caret*.

Atque hoc quidem modo Orestes ille a me explicatus est, sed non aut laudatus aut excusatus. Neque enim ferri potest illa securitas, quae pietati re-

repugnat, nisi maiori cuidam causae tribuatur: adeoque disputatio mea non parum reprehensionis continet. Video, nec quantam calumniae notam subeat eiusmodi reprehensio ignoro; sed melius esse duco quid verum sit quaerere, quam tanta scriptoris cuiuspiam admiratione et, ut ita dicam, religione teneri, ut quae vitiosa sunt, haec ipsa in laudem convertere studeas: quare in vitium aliquod hoc loco Sophoclem incidisse, ut maiora incommoda vitaret, me arbitrari confiteor. Praeterea quod nobis in hac fabula displicet, illud ipsum non admodum movisse Athenienses opinor. Hos enim alium ac nos humanitatis et pietatis sensum habuisse, testatur locus insignis in hac tragoedia, ubi sororem monet Orestes ut gaudium animo recondat et reprimat, *v.* 1295:

> ὅταν γὰρ εὐτυχήσωμεν, τότε
> χαίρειν παρέσται, καὶ γελᾶν ἐλευθέρως.

Quodsi reputamus illud εὐτυχεῖν, ipsum illum rei felicem exitum, summam esse calamitatem, i. e. maternam caedem, quomodo filii matrem iam iam occisuri vox illa γελᾶν ferri possit aut laudari, equidem me nescire fateor.

---

§. 3.

De Personis in Euripidis Electra.

Magna et quidem prima philosophiae pars est

ea

ea quae in hominum moribus cognoscendis versatur, ut enim rerum naturam et principia inquirendi studium multis se commendat, uti disputationum subtilitas ingenii acumen exercet et auget, ita maioris tamen magisque universae utilitatis est investigare quales ipsi simus, quid, quamque diverse, sentiamus, velimus, fugiamus, quaeque sint causae (exiguae saepe et reconditae), quibus ad iudicandum aut ad agendum impellamur. Hoc studio illae maxime tenentur gentes, quibus severiorem mentem et gravitatem quamdam natura dedit, quasque adeo ad cogitandum, observandum, et perpendendum aptiores informavit: unde fortasse repetendum est quod Anglorum et Germanorum tragoediae, aliaque opera quae imitatione continentur, diligenti excellant morum observatione, quum contra sermonis elegantia et exquisita rei metricae cura, a Gallicis facile superentur. Euripides autem noster, Anaxagorae auditor, temporibus vixit iis, quibus philosophia a Socrate e coelo in terras revocata est et in privatorum domos introducta, unde vitae magistra exstitit: quam ita demum arbitratus est Euripides fructuosissimam fore lateque patentis utilitatis, si non in philosophorum et rhetorum scholis reclusa maneret, nec singulis tantum quibusdam permitteretur, sed cum populo cuncto communicaretur. Quum vero tanta essent memoriae facilitate Athenienses, ut Homerica carmina multi possent memoriter recitare (1), philosophiam pu-

(1) Cf. *Xenophon. Symp. III.* 5. *sq.*

publici fecit iuris et in scenam produxit, ut praeceptis eius auditores imbueret. Hinc pulcherrimae istae et verae sapientiae plenissimae sententiae, quae omnium ore ferebantur, quas tanquam proverbia quaedam omnes memoria tenebant, quae singularem nactae sunt auctoritatem, adeo ut deinde philosophis saepius usurpari consueverint, nec Graecis tantum, sed exteris etiam essent notissimae. Huic quoque causae tribuendum est, quod, in personarum suarum moribus effingendis, plane diversam ab ea, quam secutus est Sophocles, rationem inierit Euripides. Neque enim, ut ille fecit, magnitudinis quamdam atque fortitudinis et constantiae speciem consectatus et amplexus est, quam in rerum natura non inveniret; sed, quod philosophi proprium est, quid verum esset quaesivit, illudque arripuit, et in scenam produxit: quo tamen non ita usus est, ut hominum vitia et turpitudines exagitaret, sed hominem tam fortem et constantem, tam magnum et excelsum, tam generosum et nobilem informavit, quam ipsa ferebat humana natura. Animi vero affectus, perturbationes, et ipsa adeo vitia ita adhibuit, tamque vere expressit, ut ad miserationem movendam, quo maxime excelluit, et ad tragicam voluptatem, multum inde profecerit. Quodsi nonnullis magis illa placet Sophoclis personarum animi magnitudo (quae etsi veritatem excedit, cogitatione tamen comprehendi potest), propterea quod singularem pulchri sensum excitat, negari tamen nequit Euripidis rationem verisimilitudi-

di-

dine se commendare, quae est maxima imitationis laus.

Illud multi, Euripidis personas acerbius et imprudentius reprehendentes, animadvertere aut neglexerunt aut noluerunt: inter quos Schlegelius in primis in poëtam nostrum invehitur. Neque enim magni momenti est, quod de *Clytaemnestra* et *Aegistho*, *Op. l. I. p.* 266, animadvertit, hunc benevole Orestem excipere, illam, οὐχ οὕτως ἄγαν τοῖς δεδραμένοις χαίρουσαν, filiam amice adloqui, itaque Euripidem inepte auditorum miserationem movere. Etenim hoc ipso Euripides Aegisthi et Clytaemnestrae mores verissime expressit: nam nemo est tam malus, ut non aliqua ex parte bonus sit, uti nemo tam bonus est, quin aliquid ei insit vitii: atqui hospitalitas apud veteres tam communis atque vulgaris erat virtus, ut etiam Aegisthus eam exercere potuerit, eoque magis quod ita simul regiam dignitatem a se occupatam tuetur. Quod autem ad Clytaemnestram attinet, non sane tam nefariam et odiosam Euripides eam exhibuit, quam Aeschylus et Sophocles: nec commisit poëta philosophus ut in illud vitium incideret, quod in recentiorum maxime fabulis saepius animadverti potest, ut homines non boni offerantur, sed *perfecti*, nec mali contra, sed ita pravi et scelesti, ut *nulla* prorsus virtutis vestigia relinquantur: quod sane ridiculum est. Euripidis igitur Clytaemnestra tam caeco amore Aegisthum prosequitur, ut nefarias nuptias cum eo inire non sit verita, postquam reversum Agamem-

nonem impie trucidasset. Orestis metu, et obsequio illo, quo mulieres ei cedere solent, quem aut amant, aut aliquando amarunt, Aegistho resistere non potest, adeoque liberis suis adulterum praefert, sed ita tamen ut se matrem esse non plane obliviscatur. Hinc Electram iam antea Aegisthi furori eripuerat, hinc etiam eius miserias deinde luget et miseratur. Scelus commiserat ingens, gravi poena solvendum: nec necesse habebat poëta ut eam magis nefariam proferret et odiosam, aut scelus addentem sceleri: et hoc ipsum quod ei superest materni amoris, tragicam magis reddit mortem matris a liberis suis necatae. In hoc etiam prudentissime egit Euripides quod Aegisthum spectatoribus non obtulit, sed a scena removit, eiusque caedi pulchram substituit narrationem. Eiusmodi enim est Aegisthi persona ut neminem movere possit, eoque magis quod eius mors nullius sit momenti, si cum Clytaemnestrae caede comparetur: adeoque inutilem in Choëphoris personam agit Aegisthus, ridiculam fere in Sophoclis Electra: quae tota Sophoclis fabulae ultima scena, languet et friget, et, quum omnia quae pulchri sensum aut terrorem excitare possint in praecedentibus iam exhausta sint, ita adiecta est, ut, tanquam splendidae vesti adsutus pannus, tragoediae finem dedecoret.

Rustici etiam et *Senis* mores verissime expressit Euripides. Hic (1) prudens et cautus, Orestis, quem

(1) Senex ille paedagogus ab Euripide informatus esse videtur

quem olim servaverat, non oblitus, eum statim agnoscit, et consiliis adiuvat. Ille vero ista morum simplicitate et bonitate, quae rusticis hominibus tribui solet, Electram a domesticis operibus sublevare studet, atque, etiamsi pauper sit et vel egenus, Orestem tamen cum comitibus suis hospitio excipere non dubitat. *Chori*, in hac tragoedia, partes breviores sunt, quum actioni plurimum tribuatur, ita ut hoc nomine Choëphoris opponi possit Euripidis Electra. Ceterum eius cantus pulcherrimi, atque poëtico spiritu et sublimitate insignes, ab isto fere vitio immunes sunt, quo non semper carent Euripidei Chori, ut ea saepe canant quae minus proposito conducant, neque ad ipsum tragoediae argumentum pertineant: quo magis dolendum est cantus illos obscuriores interdum esse et corruptelis laborare.

Quod vero ad ELECTRAM et ORESTEM attinet, qui earum personarum mores acerbe reprehenderunt, Euripidem aut non legerunt, aut non intellexerunt, aut certe non satis animadverterunt eum plane diversam iniisse rationem, quam Aeschylum et Sophoclem. Senserat nimirum horum fabulis aliquid inesse quod humanitati et pietati repugnaret: matris enim caedem eiusmodi esse, ut nullis miseriis, nullis periculis, nullis huius matris sceleribus, neque vel ipsa patris ultione posset excu-

tur quodammodo ad imitationem senis in *Oed. Tyr.*, cuius item ope fit ἀναγνώρισις.

cusari: scelus ab ea commissum morte luendum erat, sed hanc poenam non *filius* a matre repetere debebat:

Ποῦ γὰρ τοσοῦτο κέντρον, ὡς μητροκτονεῖν;

Quaesivit igitur poëta aliquod, ut ità dicam, subsidium, quo facti atrocitas levaretur, quo Orestes et Electra externa quadam vi impulsi et quasi coacti hoc crimen omnium maximum perpetrarent, ut eorum culpa hoc modo minueretur. Non sufficiebant Apollinis in Choëphoris minae, quippe eius irae se potius offerre Orestes potuisset, quam matrem impie necare: et eiusdem oraculum in Sophoclis fabula minoris etiam esse momenti supra monuimus. Adhibuit igitur Euripides *Fatum*, ut eius aeterna et immota necessitate, cui resistere non possent, frater et soror ad tantum facinus propellerentur. Est igitur illa

saeva Necessitas,
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahena,

cui parentes Orestes et Electra non crudeles et feroces, neque impii, sed miseri magis evadunt. Rem ipsi declarant Dioscuri, *v.* 1302:

μοῖραν ἀνάγκης ἦγεν τὸ χρεών.

Fatum illud antea decretum, *v.* 1291, πεπρωμένη μοῖ-

μοῖρα, imperium cum Iove tenet, v. 1249, μοῖρα Ζεύς τε. Hac necessitatis lege non frater tantum, sed soror etiam tenetur, quippe

κοιναὶ πράξεις, κοινὰ δὲ πότμοι, v. 1306.

Cum hoc fato coniuncta est calamitas illa huic familiae impendens, ista inde a Myrtili caede Pelopidis adhaerens ἄτη:

μία δ' ἀμφοτέρους
ἄτη πατέρων διέκναισεν. v. 1307.

His denique accedunt oracula, Φοίβου γλώσσης ἐνοπαί, quae Orestem ad facinus propellunt fato destinatum: cf. v. 1297. v. 1303.

Quum igitur ista fati maiore vi et necessitate Orestis et Electrae tollatur culpa, sed factum tamen idem maneat, neque eius atrocitas minuatur, Orestem matrem interfecturum spectatoribus offerre, et Electrae suae mores magis etiam, quam fecit Sophocles, feroces informare non veritus est Euripides, quum hoc modo augeretur potius tragica voluptas. Fati igitur decretis ut humanae etiam calamitates accederent, iis Electram oppressam exhibuit miseriis, quae animo nobili et generoso sunt gravissimae. Aeschyli et Sophoclis inventis illud addidit, ut Electram interficere voluerit Aegisthus, utque Agamemnonis filia, cuius nuptias ambierant Ἑλλάδος πρῶτοι χθονός, rustico cuidam a matre, v. 60, et Aegistho, v. 34, nuptum daretur: ut tot malis contumelia etiam, nobilis, unde orta erat,

erat, generis contemtus, turpes denique et indignae nuptiae accederent. Electrae autem Euripideae non ea est fortitudo, non ea constantia, quam Electrae suae tribuit Sophocles: quod ipsum fortasse melius certe verius est. Meminerat enim Euripides quod in viro pulchrum sit et laudandum, idem virginem dedecere. Hinc mortem metuit, *v.* 219, hinc ipsam paupertatis pudet, *v.* 402, hinc eius luctus et indignatio, et ipsa ira et odium muliebris sunt animi, nec virilem ferocitatem referunt. Orestis vero mores sine dubio sunt nobiliores et meliores, quam in Aeschyli et Sophoclis fabulis. Quum enim maiores habeat proprii odii causas, (quippe qui vagus et exsul, quin etiam σπανίζων τοῦ καθ' ἡμέραν βίου, *v.* 233. *sqq.*, in summo quoque vitae versatur periculo. *v.* 33.) nusquam tamen, uti apud Aeschylum aperte, aut tecte apud Sophoclem, se propriam simul ultionem persequi significat; sed, postpositis quae ad ipsum pertinent, matris tantum adulterium et patris necem cogitat, *v.* 86. 604. *sq.*, neque inimicos suos, sed ἀνοσίους μιάστορας iusta afficere poena constituit: cf. *v.* 687. Ceterum ita coniunctae sunt Electrae et Orestis personae, ut separatim bene considerari nequeant: quare simul earum in hac fabula partes breviter recensebimus, quo magis etiam elucebit, quod supra de Fato diximus.

Electra, adversae fortunae impetu victa et oppressa, in fabulae initio animum despondet, nec tot tantisque malis resistere valet. Regalis enim

vir-

virgo patriis expulsa aedibus, nunc pauper et neglecta, in montibus procul ab urbe degens, amicis omnique auxilio destituta, omnem fere spem abiecit, nec calamitatum videt exitum aut levamen. Indignas suscipit domesticas operas, et miserae, ad quam redacta est, vitae conditioni se submittit, *v.* 71. Quod unum reliquum est, patris fatum libere luget: hoc tantum gaudet, nec sacris aut festis, aut choreis delectari potest, *v.* 175. *sqq.* Interea vero frater, ἀφιγμένος ἐκ θεοῦ μυστηρίων φόνον φονεῦσι πατρὸς ἀλλάξων (1), in his ipsis regionis finibus et montibus errat, sororem quaerens, ut eam φόνου συνέργατιν adsciscat, ab eaque simul quae in urbe agantur audiat. Prudentiae tamen memor, quippe in summo versatur vitae periculo, se non Orestem esse declarat, sed ab Oreste missum fingit. Repentino eius adspectu primum exterrita Electra, mox, fratris audito nomine, omnem metum deponit, et quam amiserat spem sensim animo recipit. Hinc mutuo se interrogantes, haec Orestis futuri adventus mentione erigitur, et animum iam ad ultionem adplicare incipit: ille in proposito suo confirmatur, et audito quales sepulturae honores nactus sit Agamemnon, *v.* 287,

ἔχυρσ-

(1) Ita enim, *v.* 87, ἀφῖγμαι et ἀλλάξων coniungo, restituta minori distinctionis nota post οὐδεὶς, quam minus recte Seidlerus delet. Haec ita construenda mihi videntur, ἐκ θεοῦ μυστηρίων ἀφῖγμαι ἀλλάξων.

ἔκυρσεν ὡς ἔκυρσεν, ἐκβληθεὶς δόμων,

vix indignationem reprimit, nec sibi temperare potest quin exclamet,

οἴμοι· τόδ' οἷον εἶπας! . . . .

Iustum vero prudenter reprimit dolorem, atque, ne ipso luctu Orestem se esse prodat, statim subiungit,

. . . . . αἴσθησις γὰρ οὖν
κἀκ τῶν θυραίων πημάτων δάκνει βροτούς (1).

Nec minus in sequentibus etiam personae, quam suscepit, partes prudenter et caute tuetur, *v.* 395. *v.* 549. Sequitur longior Electrae oratio qua singula quae passa sit diserte recenset et exponit, iisque memorandis se ipsa simul et Orestem ad vindic-

(1) In omni fabula multa semper histrionis arbitrio relicta sunt, ut quid quantaque vis verbis singulis insit ingeniose colligat, et apte proferat: quare persuasum mihi habeo locum illum hoc sensu accipiendum, et ab histrione pronuntiandum fuisse. Ceterum quam accurate partes suas agere necesse habuerint histriones Athenis, probat notissima historiola *Hegelochi*, qui versum Euripidis recitans,

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ.

voce et lateribus deficientibus, non γαλήν' ὁρῶ, sed γαλῆν ὁρῶ dicere videbatur, magno cum auditorum risu. Quod deinde Aristophanes et Strattis in rem suam convertere non neglexerunt. Vid. *Schol. Eurip. ad Orest. v.* 269.

dictam excitat. A sene agnitus Orestes propositum suum declarat. Matrem enim et Aegisthum morte punire iam antea Apollinis auctoritate certo constituerat, *v.* 605. *v.* 619, nec de felici rei successu dubitat, *v.* 579; sed causam suam iustam esse confidens, eius curam Diis committit, *v.* 680. Non vero, uti apud Sophoclem et Aeschylum, rei adgrediendae modum constituerat, quippe rerum et locorum ignarus: quare singula accurate resciscit, *v.* 603—652. Senis autem monitis, quibus ad facinus via paratur, ita effertur Electra, ut eadem virgo, quae malis obruta omnem antea spem amiserat, fratrem iam ad caedem impellat, matris necem, tanquam proprium quoddam munus, suscipiat, et voluntariam, victo Oreste, mortem obire decernat. Quod non aperte tantum profitetur, *v.* 693, sed deinde etiam, auditis clamoribus, in eo est ut gladio vitae finem imponat, *v.* 761. Quo magis depressa fuit, eo magis Aegistho caeso gaudio exsultat, nec sibi temperare potest quin ei quamvis mortuo scelera sua exprobret, *v.* 911. *sqq.* Hic etiam Orestes se moderatiorem praestat, qui et antea Deorum auxilia precatus erat, *v.* 676. *sqq.*, et nunc quoque non sibi, sed illis gratiam habendam laudesque tribuendas esse significat, *v.* 895. Idem vero Orestes, qui huc usque non haesitavit nec dubitavit, sed firma et constanti voluntate a Clytaemnestra iustam poenam repetere constituerat, nunc solo matris adspectu ita perturbatur, ut eam necare vereatur, cui vitam ipse debeat: ut Apollinis iussa ex-

exsequi detrectet: ut vel in eam cogitationem incidat tantum facinus iubere Deum non potuisse, *v.* 983:

ἆρ' αὖτ' ἀλάστωρ εἶπ', ἀπεικασθεὶς θεῷ;

ut denique sorori aegre et invitus cedat, et quasi necessitate coactus (1), *v.* 990. Haec enim ei adstat, haec dubia eius solvit, haec patris memoria et oraculorum auctoritate eum ad caedem excitat, vel protrudit potius (2): haec matrem deinde fallit, haec moderationem simulat, haec iram animo recondit, ut eam in domum, i. e. ad certam mortem deducat. |Quodsi Electram consideramus maternae caedis avidam, cuius particeps esse non recusat:

ταὐτῷ γε πελέκει, τῷ πατὴρ ἀπώλετο. *v.* 277:

Electram atrocem in modum, matri insidias struentem, cuius necis curam sua sponte suscipit:

ἐγὼ φόνον γε μητρὸς ἐξαρτύσομαι. *v.* 652.

Elec-

(1) Multi hunc locum reprehenderunt, nescio quam constantiam in Oreste desiderantes. Mihi, praeter veritatis laudes, vel hoc uno pulcherrimus esse videtur, quod *matris* nomini dignitati amori et iuribus tantam sanctitatem tribuerit Euripides, ut non tantum cetera omnia ei cedere debeant, sed ipsa etiam Deorum oracula huic pietatis sensui contraria in dubium vocari possint.

(2) Cf. *v.* 1207. *sq.*

Electram fratrem ad facinus propellentem, eamdemque matri se submittere simulantem, dum ei mortem parat, eamque feroci, quod vix reprimere potest, gaudio matricidae gladio tradit, *v.* 1143 *sqq.*: si illam caeco furore abreptam, omnium scelerum maximum tanquam summam felicitatem expetere, suadere, iubere videmus, non possumus non de illa calamitate cogitare, de invicta illa Ἄτῃ, quae familiae isti inhaerebat, quae caedi novam semper addebat caedem, deque Fati aeterna necessitate, cui frater et soror resistere nequeant, qua caeco impetu ad agendum propellantur. Haec magis etiam in Oreste apparent, qui se scelus commissurum esse vel agnoscit, vel sane suspicatur, et veretur, et Fati tamen decretis, licet invitus, se submittere cogitur. Illa, rabie quasi agitata, praeceps ruit, hic vi maiori et ignotae cedit, hic periculum suspicit, quod effugere nequit. Postquam vero Fati decretis, Vindictae, et oraculis satisfactum est, frater et soror se non tantum patrem ultos esse, sed matrem simul interemisse agnoscunt, *v.* 1181. *sqq.* Conscientiae iam stimulis agitantur: querelas veri affectus plenissimas effundunt: culpam uterque in se et in alterum simul coniiciunt: recordantur quam misere mortem deprecata sit mater, quamque impie eam trucidarint. Inde maxime tragicam voluptatem pariunt Orestes et Electra, quod miseri tantum sunt, et culpa carent, etsi summum scelus commiserunt.

Ceterum quum hoc tamen modo fabulae finis imponi

poni nequeat, et quaedam explicatione indigeant, veluti Electrae cum rustico nuptiae, quodammodo Castoris et Pollucis interventus requiritur: quamquam haec ipsa fortasse poëta aptius et melius in ipsa fabula componere potuisset, sive rustici morte, sive alio modo. Praeterea longiore oratione utuntur, quam necesse est, Dioscuri, longiore etiam quam quae Deos cum hominibus deceat (1). Tum culpam in Apollinem coniicientes inepte agunt, quo loco Euripides nimis philosophandi studio indulsit. Ineptius etiam Electram cum Pylade nuptias contrahere debere pronuntiant: sed ridiculam in primis personam agunt, ubi a Choro Oreste et Electra interrogantur, *v.* 1293. *sqq.*: quo loco imaginem referunt veteris Romani Iurisconsulti consulentibus de iure respondentis.

Haec omnia colligentes, videmus AESCHYLUM Diis et inferioribus numinibus multum tribuentem, unde divina quadam maiestate eius fabulae insignes sunt, ipsarum personarum moribus operae parum dedisse: SOPHOCLEM suo ipsum animo effinxisse quamdam et amplexum esse animi magnitudinem: EURIPIDEM naturae veritati studuisse, eamque exprimere conatum esse: eundem hoc nomine laudandum

(1) Cf. Hermann. *Comment. de Trag. et. Epica Poësi X. p.* 224.

dum esse, quod animi affectus optime adhibuerit, in eo reprehendendum, quod ea interdum proferat, quae philosopho conveniant, non in scena ab actore pronuntianda sint: tragici enim non est poëtae explicare quid ipse sentiat, sed eas personis singulis sententias tribuere, quas dicere convenienter aut possint aut debeant.

Sophocles et Euripides Electram maternae caedi praesentem exhibentes magnum vel laudis vel reprehensionis periculum subierunt, quod Aeschylus prudentius effugit.

Saepius quaesitum fuit, quare nullae Pyladi a tribus tragicis partes tributae sint. Tres enim tantum in Choëphoris versus pronuntiat, in duabus reliquis fabulis κωφὸν πρόσωπον agit. Respondeo eiusmodi esse harum fabularum argumentum, ut nullus amicitiae detur locus. In Choëphoris enim hoc unice loco, v. 887, amici adhortatione opus est: in Sophoclis fabula nullum huiusmodi monitum requiritur, quum Orestes constans et propositi tenax nulla admonitione indigeat: in Euripidis denique tragoedia Electrae fratrem incitanti, amicitiae partes tribuuntur. Non igitur negligentia quadam poëtae hoc praetermiserunt, sed tragoediae argumento iam satis inesse arbitrati, tantam rem amicitiae ornatu non indigere censuerunt: eoque magis fortasse quod periculum erat, ne duplex inde oriretur actio. Ceterum tragicam amicitiae vim et utilitatem veteres bene novisse testantur Teucer in Sophoclis *Aiace*,

et

et in primis in Euripidis *Oreste*, et in *Iphigenia Taurica* ipse Pylades.

Rursus recte quaeritur, quid poëtae nostri, si inutilem esse censuerunt Pyladis personam, eam tamen in scena exhibere necesse duxerint. Illud propterea ab iis factum esse arbitror, quod antiquitatis veterumque traditionum religione ducti, Orestem sine Pylade proferre non auderent, quum sanctitatis quamdam famam eorum amicitia obtinuisset, adeo ut alter sine altero cogitari non posset. Proverbii loco Ciceroni (1) *Pyladea amicitia* usurpatur, cuius celebritatem apud Graecos non minorem fuisse mihi persuasum habeo, quaeque barbaris ipsis nota fuit, si quidem Ovidio (2) fidem habemus:

» Mirus amor iuvenum, quamvis abiere tot anni,
» In Scythica magnum nunc quoque nomen habet."

Tanta enim fuisse illa amicitia traditur, *ὥστε καὶ ἀποθανόντος Πυλάδου συγκατελθεῖν τὸν Ὀρέστην μέχρι τοῦ Ἅιδου* (3). Communis erat iis vita, communes labores, *ὡς ἐφ' ἑνὸς σκάφους τοῦ βίου συνέπλευσαν* (4). Pertinent eodem Bionis versus, *Eidyl.* VIII:

ὄλβιος ἦν χαλεποῖσιν ἐν ἀξείνοισιν Ὀρέστας
εὕνεκα οἱ ξυνὰς Πυλάδας ἤρητο κελεύθως.

Py-

(1) *De Fin. II.* 26.
(2) *Ex Ponto. III. Ep.* 2. *v.* 95.
(3) *Nonni Narrat.* 12. in Creuzeri *Meletem. e Disc. ant. p. I. p.* 82.
(4) *Lucian. Am. Tom. V. p.* 310. §. 47. *Bip.*

Pylades igitur ille, qui Orestis adversam fortunam amicitia sua sublevare, eique semper adesse solebat, qui cum eo ἤρητο κελεύθους, et pericula obibat, amicum tantum facinus adgressurum deserere non potuit. Hinc Pylades Orestem comitatur in Aeschyli *Choëphoris*, Sophoclis *Electra*, Euripidis *Electra*, *Oreste*, et *Iphigenia Taurica*. Quod autem modo dixi, mihi videri veteres propter Pyladis amicitiae sanctam quasi famam eum ab Oreste separare ausos non esse, hoc egregie confirmaretur, si omnes antiquae Orestis statuae et imagines vasibus aut marmoribus insculptae, quae quidem ad nostra tempora pervenerunt, Pyladem perpetuo comitem haberent. Iam vero in plerisque antiquis monumentis Orestes quidem cum Pylade invenitur; sed non desunt, in quibus Orestes sine Pylade exhibetur. Ne tamen quis hoc ipsum sententiae meae obiiciat, animadvertendum est monumentorum istorum hanc esse rationem, ut in iis explicandis viri docti non consentiant, atque diversissima saepe tradant. Deinde in omnibus eiusmodi imaginibus quae Orestis esse perhibentur, quascunque vidi, sive a Cl. Reuvensio, viro omnis antiquitatis peritissimo quem honoris causa nomino, mihi communicatas, sive aliunde notas, certissima indicia deprehendere mihi visus sum, eas serioris esse aevi, inque iis ipsis tragicorum nostrorum, in primis Euripidis, fabulas respici. Atqui hoc tantum quaerimus, quaenam fuerit ipsis tragicorum temporibus Pyladeae amicitiae vulgo recepta fama: unde patet neque

eiusmodi urnas aut vasa, neque incerti temporis et magis etiam incertae interpretationis marmora et statuas hic usu venire posse. Maioris fortasse momenti est locus Pausaniae, I. *c.* 22. 6, narrantis ad laevam Propylaeorum fuisse cellam picturis ornatam: interque alia, ibi Orestem exhibitum fuisse Aegisthum obtruncantem, et Pyladem Nauplii filios caedentem, qui Aegistho auxilio venerant. Quae pictura si cum ipsis Propylaeis ad Periclis tempora pertinuit, florente tragoedia confecta fuit. Propylaea enim aedificata sunt (1) Ol. 85, 4. — 87, 1: itaque absoluta demum fuerunt anno A. C. 432, id est quum 48 annos natus esset Euripides, atque ipse et Sophocles tragicae poëseos laude et fama maxime florerent.

Ceterum duae tamen ad nos pervenere tragoediae, in quibus Orestes solus procedit, Aeschyli *Eumenides*, et Euripidis *Andromache*. In Eumenidibus rei ratio aperta est. In hac enim fabula ab humanis poëta sese ad divina sustulit, neque Orestem conscientiae stimulis agitatum ita exhibere voluit, ut naturae veritatem (quod fecit Euripides), sed ut symbolicam rationem sequeretur. Pyladem igitur, Orestis humanae tantum vitae socium, in illum Deorum et numinum coetum inducere non potuit.

Quod autem in Euripidis Andromacha non prodit

(1) Vid *Harpocration in v.* et *Meurs. Att. Lection. Lib. VI. cap. ult. p.* 374.

dit Pylades, hoc ex iis fortasse traditionibus repetendum est, quas in Orestis historia, tragoediarum serie celebranda, secutus est Euripides, quaeque cyclicorum poëtarum et vetustissimorum historicorum iactura, non nisi difficillime colligi possunt. In *Andromacha* sane non adeo Pyladis auxiliis indiget Orestes, quippe nec matrem interfecturus, nec furoribus actus. Pertinet huc fortasse locus Tzetzae, *ad Lycoph. Alex. v.* 1374, narrantis Orestem ad Neoptolemum interficiendum solum profectum esse, postquam Electram Pyladi uxorem dedisset. Fieri potest igitur ut in his Euripidi historicae fidei ratio habenda fuerit. Ceterum Tzetzes *l. l.* aut Hellanicum secutus esse, aut certe eum ob oculos habuisse mihi videtur.

CAPUT IV.

DE TRIUM FABULARUM PARTIBUS QUIBUSDAM, DE POËTICO ORNATU, DE DIGRESSIONIBUS, DEQUE LOCIS INSIGNIORIBUS.

Tragoediarum nostrarum argumentum et universam compositionem, quam oeconomiam vocant, supra exposuimus: egimus etiam de personarum moribus. Vidimus quaenam poëtae illi ex historia vel veteribus traditionibus hauserint, quaenam ipsi invenerint, quomodo accepta disposuerint, eaque propriis inventis instruxerint: vidimus quam diversam plane viam, idem factum celebrantes, inierint: vidimus quasnam adhibuerint personas, quasnam iis tribuerint partes, mores, affectus. Sunt tamen praeterea alia quaedam quae in poëtarum laudibus considerari debeant. Poëtae enim, quibus, auctore Cicerone (1), est proxima cognatio cum oratoribus, non universa tantum adcurare, sed singulis etiam partibus diligenter absolvendis

(1) *De Orat. III. c. 7.*

dis operam dare debent. Quare, quum tria videnda sint oratori (1), quid dicat, et quo quidque loco, et quomodo, eadem poëtae observanda sunt. Non igitur sufficit, ut quid versibus celebrare velit, certo constituerit, ut, quae primo, quaeque secundo, quae deinde, quae ultimo loco dicenda sint, ita disposuerit,

» Primo ne medium, medio ne discrepet imum."

ut in singulis istis progressionis cuiusdam rationem habuerit, ut in omnibus *unitatem* quam dicunt, observaverit, id est consilium certum, quo omnia eodem tendunt; sed praeterea, cum ita tantum poëta *quid*, et *quo quidque loco* exponendum sit, perspexerit, animadvertendum erit etiam *quomodo* singula protulerit. Quid enim? Non sufficit ut adsint argumentum, Chorus, personae, ut totius fabulae finis sit actio quaedam, vel personae cuiusdam conditio aut miseriae, ut tragoediae sit iusta magnitudo et versuum numerus, ut adsint prologus, agnitio, status mutatio, conclusio, praeterea Chori cantus, personarum mores, colloquia, narrationes: quae omnia si nude, frigide, inornate proferuntur, non erit nisi pessima tragoedia. Singularum igitur partium ratio habenda est, et diligenter inquirendum, an apta sint quaeque temporibus, locis, personis, an verisimilitudinis laude se commendent, an non bene tantum, sed etiam pulchre

(1) *Or. c.* 14.

chre dicta sint. Animadvertenda est praeterea dictio, quae in poësi est difficilior et exquisitior. Poësis enim, magis etiam quam accuratissima pedestris oratio, refugit quaecunque sunt mediocria aut trita aut vulgaria. Sublimis effertur, adeoque magna et nobilia, nec tamen turgida, requirit, inque iis varietatem. Sit igitur dictio gravis, nobilis, sublimis, ornata, elegans, lenis: sit porro, ut Ciceronis (1) verbis utar, conspersa quasi verborum sententiarumque floribus, neque id fusum sit aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint, quasi in ornatu, disposita quaedam insignia et lumina.

Primum poëtae tragici officium est, ut, in ipso fabulae initio, quaenam res, quo tempore, quo loco, a quibusnam, et quomodo agatur, statim probabili modo et clare significet: sibi persuasum habere debet se auditoribus rem novam et incognitam offerre, adeoque primo loco illis ea declarare debere, quae cognoscere necesse habeant, ut sequentia intelligere iisque delectari possint: quod bene monuit poëta Gallus:

» Que dès les premiers vers l'action préparée
» Sans peine du sujet applanisse l'entrée.
» Le sujet n'est jamais assez tot expliqué."

Choëphororum prologus, cuius partem nobis serva-

(1) *De Orat. III.* 25.

vavit Aristophanes, hic minus recte in censum vocari potest, non tantum quia locus mutilus est, sed etiam quoniam fabula illa prologo fere non indiget, cum arctissime cum Agamemnone cohaereat, cuius tragoediae finis ad Choëphororum argumentum respicit. Pauca vero quae habemus Choëphororum argumento aptissima sunt. Orestes patris sepulcro insidens, patris et Mercurii Inferni auxilia (1) precatur, quo modo simul Agamemnonis memoria excitatur, eiusque necis ultio futura significatur. Ceterum quamnam in prologis rationem AESCHYLUS sequi consueverit, ex aliis eius, quas superstites habemus, fabulis colligi potest. Vulcanus et Robur colloquentes *Promethei Vincti* argumentum exponunt: quae ratio Sophocli frequentata fuit. Interdum etiam oratio quaedam fabulae praefigitur, sed brevior illa et perspicua, et personae cui tribuitur apta: quales sunt Excubitoris in *Agamemnone* et Py-

(1) Verborum πατρῷ' ἐποπτεύων κράτη duplex apud *Aristophan. Ran. v.* 1150. *sqq.* interpretatio profertur, altera ab Euripide, altera ab Aeschylo. Non erat quod Wellauerus Schützii et Buttleri sententiam reiiceret, et ipsius Aeschyli apud Aristophanem explicationem probaret. Neque enim hoc toto loco comicus Euripidem tantum, sed etiam Aeschylum ludit: quod Wellauerus non videtur animadvertisse. Adeoque minus etiam apta est ea huius versus interpretatio, quam apud Aristophanem profert ipse Aeschylus. Sensus loci est: « Mercuri, « sis mihi salutis auctor, *respiciens*, i. e. *memor* imperii, quod « tenuit olim pater meus Agamemnon." Agamemnonis imperii mentione, praesens Orestis exsulis miserrima conditio apertius declaratur, significatur simul Clytaemnestrae sceleris atrocitas, itaque Dei benevolentia conciliatur.

Pythiae in *Eumenidibus*. Oratione ad populum Eteocles tragoediae *Septem c. Thebas* initium fecit: quod fortasse Sophocles in *Oedipo Rege* imitatus est. Habent in universum Aeschyli prologi propriam quamdam maiestatem et gravitatem, grandi quod consectatus est generi convenientem. In *Persis* et *Supplicibus* ipse Chorus statim fabulae argumentum declarat: in quo prioris tragoediae vestigia deprehendas. Addito enim primum uno tantum actore qui Chori cantus actione vel narratione exciperet, Chorus ipse primas partes egisse et fabulae initium fecisse videtur.

Sophocles ea plerumque in prologis ratione utitur, ut actores probabili de causa colloquentes rem agendam auditoribus significent: illudque ita ut non poëta ipse loqui videatur, sed insigni quodam artificio ea actori tribuat, quae auditores monere necesse habeat. Procedit igitur actor, non tanquam praeco rem nunciaturus, sed, in transitu quasi, quaecunque cognosci debeant iam primis versibus declarans, quibus ipsis

in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit.

Eiusmodi est etiam *Electrae* initium. Paedagogus primis verbis indicat scenae locum, tempus, personas, propositum, res actas, et res gerendas: accedit Orestis oratio, oraculi mentio, consiliorum communicatio. Nec tamen eamdem semper viam secutus est Sophocles. In *Trachiniis* oratione quadam

dum prologum agit Deianira. Istae vero Deianirae querelae cum Euripideis prologis non sunt conferendae, quum, etsi fabulae argumentum ex officio declarent, personae tamen conveniant, nec poëtam prodant rem auditoribus communicantem.

Multi iique varie egerunt de prologis EURIPIDEIS, quos iam olim lusit Aristophanes, apud quem Euripides ipse rationem suam exponit, *Ran. v.* 977:

> Ἀλλ' οὑξιὼν πρώτιστα μὲν μοι τὸ γένος εἶπεν εὐθὺς
> Τοῦ δράματος.

Et profecto prologos illos, in quibus praemissus actor tanquam genealogus longum a Diis inde stemma repetere solet, nunquam lego, quin mihi in mentem revocent Galli Satyrarum scriptoris versus:

> » J'aimerois mieux encor qu'il déclinât son nom,
> » Et dit, je suis Oreste, ou bien Agamemnon, etc."

Quibus paucis verbis Euripides acute et vere notatur. Festiva est Schlegelii (1) comparatio, Euripidis prologos conferentis cum vetustis picturis illis, in quibus pictae personae chartulas vel vittas ex ore pendentes habent, quibus inscriptum est quinam sint, quid agant, quid dicant. Nec tamen desunt qui prologos istos excusare conentur, et ita quidem ut nonnulli reprehensionem in laudem fere convertant. Euripidi prologos scribendi *necessitatem*

(1) *Op. t. I. p.* 216.

tem fuisse contendit Hermannus (1), propterea quod, » exhaustis tractandi cuiusque argumenti mo» dis, nova quaedam et a *communi traditione re» cedentia* comminiscenda erant, quae igitur antea » auditoribus indicanda erant: antiquiorem vero » tragoediam prologis *facile caruisse*, quum, quid » visuri essent spectatores, *notum iis esset*." Haec habet Hermannus. Quasi una tantum eaque communis de fabulosis istis temporibus traditio recepta fuerit! (quae quam multiplices et variae fuerint, ex iis colligere licet, quae Cap. I. disputavimus) Quasi antiquior tragoedia, i. e. Aeschyli et Sophoclis, prologis caruerit! Quasi sutoribus aliisque ex infima plebe Athenis tam bene *nota fuerint*, quaecunque ad mythologiam et vetustissima Graeciae tempora pertinerent, ut prologis non indigerent! Nulla est tragoedia, modo tragoedia sit, quae prologo carere possit: nec magis Aeschyli aut Sophoclis fabulae prologis carent quam Euripideae. Res, sive nova sit sive vetus, auditoribus semper est significanda. Si res ipsa nota est, ratio tamen qua profertur ignoratur. Neque hoc est quod quaeritur, sed tantum *quo modo* res agenda spectatoribus sit indicanda. Potuisset Euripides eadem, qua fecit Aeschylus et inprimis Sophocles, ratione fabulae argumentum declarare: potuisset hoc in re quam maxime nova et inaudita: quod nostri tempo-

(1) *Praef. ad Soph. Elect. p. X.* Eandem necessitatem agnoscunt *Schlegel. l. l. p.* 215. aliique.

poris tot fabulae de ficto et plane incognito argumento, modo clara et perspicua expositione commendentur, satis manifesto contestantur. In prologis scribendis novam propriamque viam ingressus est Euripides, sed nulla *necessitatis* lege coactus. Eosdem Euripidis prologos laudat fere summus Wyttenbachius (1), » quippe eos non » profectos esse," dicens, » ex ignorantia, sed ex » ingenii potius abundantia, et certo iudicio, qui» bus factum esse, ut nonnunquam verisimilitudini » anteponeret perspicuitatem." Similis est sententia Lessingii, in opere quod Dramaturgia inscribitur, contendentis ipsos illos prologos insignem Euripidis fabularum praestantiae laudem continere, quod probent quantam vim tragoediae illae in auditores habuerint, quum poëta necesse non esse duxerit studium illud nova cognoscendi et audiendi, quo homines maxime ducuntur, in ipsa fabula excitare et fovere, eique in prologis satisfecerit, atque ita sciens hac delectandi facultate abstinuerit. Lessingium recte refutavit Schlegelius (2). Quod ad Wyttenbachium attinet, non nego bene fecisse Euripidem si veri similitudini anteposuit perspicuitatem; melius tamen, si utramque coniunxisset: adeoque male, quod, perspicuitatem quaerens, veri similitudinem neglexerit, quam facile cum illa potuisse coniungi Sophoclis prologi declarant. Duplex

(1) *Bibl. Crit. I. p. IV. p.* 12.
(2) *Op. l. I. p.* 215.

plex est huius rei ratio et laus: altera poëseos universe, altera tragicae poëseos. Neque enim sufficit ut sit carmen pulchrum, varium, ornatum, sublime, nisi accedat etiam diligens tragoediae propriarum legum observatio: quo loco bene tenendum est tragoediam esse imitationem, quae poëtam ipsum ex animo amovet, nec nisi de personis in fabula obviis cogitari iubet. Prudenter igitur cavendum est poëtae ne se ipse prodat, nec sub personae cuiusdam nomine et habitu in scenam procedat, quod non sinit veri similitudo, quam primam esse imitationis laudem saepius monuimus. Atque hoc est quod non iniuria in prologis istis reprehenditur. Alia tamen fortasse ratione Euripidis prologi possunt excusari vel certe explicari: neque enim ignorantia quadam aut negligentia, ut animadvertit Wyttenbachius, sed consulto eos adhibuit poëta. Perspexit fortasse Sophoclis prologos uti simplicitatis et veri similitudinis laude excellebant, ita tamen non omnibus numeris absolutos esse, eoque vitio premi, quod non omnia, quae ad rei intelligentiam pertinerent, in iis commode possent explicari, adeoque non sufficientibus prologis istis, reliqua in ipsa fabula auditoribus significanda essent. Nec sane negari potest Sophoclis ratione res omnes ad argumentum pertinentes non tam breviter tamque perspicue proponi posse, quam Euripidea. Primum enim brevius et clarius est dicere: » Ego sum » Orestes, haec acciderunt, ista agam:" quam si idem artificio quodam a duobus colloquentibus signi-

gnificari debet. Deinde etiam illi, quicunque sint, omnia scire nequeunt: unde sequitur multa praetermitti in sequentibus indicanda. Ut exempli gratia Sophoclis Electram ad partes vocemus, si rem ita consideras, videbis non tantum Paedagogi et Orestis sermones, *v.* 1—77, sed etiam Electrae orationem, *v.* 248—304, ad prologum pertinere, quem Euripides forte 50 versibus absolvisset. Hic enim adhibita saepe vel Dei vel Umbrae alicuius persona, non tantum quae acciderunt, sed praesentia etiam et futura declarat: atque ita, lite quasi contestata, omnibus, quae quidem ad argumentum pertineant, uno prologo auditoribus nuntiatis, omni cura et legibus solutus et liber, se totus rei tradit canendae et poëtico indulget ingenio. Neque hoc loco praetermittendum, hanc maxime inter Sophoclis et Euripidis ingenia differentiam animadverti posse, quod ille, legum et poëtices regularum diligentissimus observator, nihil ponat nisi quod bene perpenderit, quodque deceat: quod elegantiam, ornatum, varietatem, gravitatem quaerat, artem excolat, quam quidem perfectam fere reliquit, sed *artem* tamen; hic vero nullis legibus parens, nullo freno subiectus, quaecunque animi impetum impediant, fugiat et reformidet, non curet artem aut regulas, sed ingenio vere poëtico abreptus, sublimis efferatur, nec quidquam quaerat aut consectetur, sed proprios animi motus sequatur et exprimat, tanquam luscinia cantus effundens. Atqui cum iacta sit alea, dicam quod sentio: praestan-

tior mihi videtur Sophocles tragoediarum auctor, sed maior poëta Euripides. Non enim diligens versuum cura, apta rerum distributio, quaesiti ornatus, elegantia, decori species poëtam efficiunt. Poësis est mentis et animi musica, ab eaque abhorret, quidquid anxia nimis et sollicita regularum observatione mathematicorum refert lineas, normas, figuras, et propositiones. Euripides igitur prologos istos eo consilio conscribere potuit, ut, quasi in praefatione auditoribus antea indicatis omnibus, hac cura vacuus et liber se totus daret affectibus exprimendis quo genere maxime excelluit. Confirmatur ista explicatio eo quod Euripidis fabulae nonnisi post prologum revera initium capiant, illudque ita ut poëta, missa frigida illa ad spectatores admonitione, tum demum cantus incipere videatur. Sic in *Hecuba* post Polydori umbrae orationem, statim sequitur locus pulcherrimus, Hecubae querelis insignis:

ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γρᾶυν πρὸ δόμων. κ. τ. λ.

Sic in Phoenissis post prologum sequitur locus illustris quo Antigone cum Paedagogo exercitum in turri conspicua observat: idem in Hippolyto et in aliis fabulis animadverti potest. Neque sic tamen Euripideos prologos laudo aut probo, sed tantum quidnam iis sibi voluerit poëta investigare volui; neque hanc explicationem, si cui improbabilis videbitur, ita complector, ut eam meliori sententiae libenter submittere nolim.

In

In *ἀναγνωρίσει* duo sunt consideranda: signa illa quibus fratrem agnoscit soror, et modus quo poëtae animi affectus expresserunt. Quod ad primum attinet, tria adhibuit Aeschylus, crines, pedum vestigia, et vestem ab ipsa Electra contextam. Schützius, ut Aeschylum emendare posset, eoque modo laudare quod erat reprehendendum, negavit Euripidem Aeschylum irrisisse, *ad Choëph.* *v.* 202. *sqq.* *v.* 228. quod negare non debuisset. Apud Euripidem enim senex ipsa illa tria recenset, quae Aeschyleae agnitioni ansam praebent, sc. Orestis comas, vestigia, et vestem, *Elect.* *v.* 516. *sqq.* Atqui comas et vestigia senex ille viderat, quum Agamemnonis adiisset sepulcrum, *ib.* *v.* 511. *v.* 528; sed vestem illam, quam *v.* 535 memorat, non viderat, adeoque eius mentio h. l. aliena satis probat Euripidem haec ridiculi causa scripsisse ut patrem tragoediae carperet. Hoc sensu si locum legas (nec sane alio sensu accipi potest) acerbam reprehensionem continere videbuntur Electrae ad senem verba, *v.* 520:

οὐκ ἄξι' ἀνδρὸς, ὦ γέρον, σοφοῦ λέγεις.

Quod si eo loco Euripides Aeschyli agnitionem respexit, sequitur etiam ex Euripidis loco Aeschyli versus obscuriores explicari posse: nemo enim facile dubitabit quin Aeschylum intellexerit Euripides. Pertinet hoc ad ista *pedum vestigia:* itaque Aeschylus (secundum Euripid. *El.* *v.* 528.)

hoc

hoc sibi voluit iis, ut Electra ex fratris propriorumque pedum formae similitudine Orestem adesse coniiceret, *Choëph.* *v.* 203. *sqq.* Quae ratio Schützio non placet, nec mihi, neque aliis forte. Non desunt tamen qui Aeschylum defendant, uti Seidlerus et Wellauerus, dicentes Aeschylum non ignorasse quam facile ex rebus levissimis spem capiant ii, qui vehementer aliquid concupiscant: quod de Orestis in sepulcro depositis comis concedo, de pedum vero vestigiis non ita facile. Ineptum est iuvenis et puellae pedum vestigia eiusdem esse magnitudinis: vid. *Eurip.* *El.* *v.* 532. Tertium vero illud de Orestis veste, quam olim ab Electra accepisset, bene defendit Schützius, habita Orestis aetatis ratione: *ad Choëph.* *v.* 228.

Rudiori Aeschyli rationi aliam substituit SOPHOCLES, quae tamen vitio non caret, quum ad probationem sufficere non videatur. Nimirum sigillum illud, Agamemnonis σφραγῖδα, *El.* *v.* 1220, non tantum Orestes, sed quivis alius habere potuisset. Non defuerunt igitur qui de nota corporis cogitarent, omnibus Pelopidis communi: vid. quae Musgravius de hoc loco disserit. Non credo tamen vocem σφραγῖδα de huiusmodi corporis nota accipi posse. Ceterum Agamemnonis sigilli mentio fit etiam apud *Euripidem* in *Iphigenia Aul.*, si modo est Euripidis, quo loco Agamemnon nuntium mittens ad Clytaemnestram, ne cum filia ad ipsum veniat, sigillo suo epistolae fidem facit, *v.* 154. cf. *v.* 314.

Apud

Apud Euripidem denique eadem ratione Orestem agnoscit senex, v. 569, qua Ulyssem apud Homerum nutrix Euryclea. Scil. Orestes olim puer ex casu cicatricem contraxerat. Nota est ex eiusmodi signo agnitio, et veri etiam similitudine se commendat.

Quod ad animi affectus qui fabulae personis a poëtis h. l. tribuuntur, Aeschylum et Euripidem hac in re longe superavit Sophocles. Primum enim artificio illo usus est poëta, ut agnitionem differret, neque eam adhiberet, antequam Electram suam omni calamitatum genere adflictam spectatoribus praebuisset, eiusque varios animi motus et indolis vim mirabilem explicuisset. Inde illa in Electrae miseriis, et animi simul magnitudine insignis per totam fabulam gradatio et progressio, de qua supra egimus: nec fratrem agnoscit infelix mulier, nisi hoc ipso temporis momento, quo urnam tenet, qua fratris cineres contineri arbitratur. Inde per ipsam agnitionem non a tristitia, sed a desperatione ad exsultantem laetitiam subita transgressio. Bene autem sensit poëta, hic non sufficere aequabiles et compositos quasi iamborum numeros: quare, mutato statim metro, Electram antistrophico carmine animi motus cantibus exprimentem effinxit: dum Orestis iambico utentis numero, placideque loquentis, animi tranquillitas sororis cantibus et clamoribus opponitur. Euripidis autem ἀναγνώρισις friget adeo et languet, ut Orestis reditu

Chorus, magis quam Electra, gaudere videatur: quod in poëta mireris qui his ipsis animi adfectibus pingendis excellere solet. AESCHYLUS denique, etsi non eadem usus arte qua Sophocles, egregie tamen et vere Electram insperata laetitia elatam, et fere dicas perculsam, expressit. Repertis in tumulo comis, *v.* 166. *sqq.*, anxietate, spe, metu, et gaudio agitatur, accedit pietas, ne patris sepulcrum ab inimico violari sinat, *v.* 195. Deos precatur, sperat, nec sperare audet. Visis dein pedum vestigiis, *v.* 203. *sqq.*, virisque subito procedentibus, *v.* 209, plane perturbatur, anxiaque inter spem et terrorem fluctuat. Nec fratrem agnoscit, neque ei, quod toties precata est, fidem habere potest, *v.* 218. *sqq.*, donec Orestes vestem ostendat ab ipsa olim textam: quo signo victa, tanta laetitia abripitur, ut frater, non absoluta oratione, eam ad se revocare et confirmare cogatur, *v.* 229:

Ἰδοῦ δ' ὕφασμα τοῦτο, σῆς ἔργον χερὸς·
Σπάθης τε πληγάς· εἰς δὲ θηρίων γραφήν. ...
Ἔνδον γενοῦ, χαρᾷ δὲ μὴ 'κπλαγῇς φρένας (1).

Aeschylea ἀναγνώρισις insignis est affectuum veritate cum dignitate coniuncta.

De

(1) Ita enim lectionem vulg. egregie tuetur et interpretatur Wellauer, reiecta Pauwii et Schutzii emendatione. In eo lapsi sunt Interpp. quod locum illum grammatica ratione explicare frustra studuerunt.

De περιπετείᾳ egi supra Cap. II. De Euripideae vero fabulae conclusione ἀπὸ μηχανῆς idem fere dici potest quod modo de prologis monui. Poëtico indulgens ingenio, sibique parum temperans, fabulae ordinationem non admodum curavit, adeoque hac negligentia in angustias coactus, nodum, non *arte* sed *incuria* implicatum, neque ipse saepe nec fabulae personae explicare potuerunt: quare ut difficultatibus iis se expediret, Diis illum *resecandum* tradidit. Animadvertendum tamen est, fieri posse ut Euripides etiam hoc interdum fecerit, ut populo vel sane plebi placeret. Athenienses enim maxime delectatos fuisse machinis et mirabilibus in scena spectaculis, satis probant Oceanus et Oceanitidum Chorus in Aeschyli Prometheo Vincto, quin etiam Euripidis fabula Troades, in primis vero Aristophanis comoediae nonnullae, uti Ranae, Aves, et Pax. Magnae igitur in scena veteri fuerunt partes eius cui machinarum cura commissa erat, τοῦ μηχανοποιοῦ, qualem facete adloquitur Trygaeus, apud *Aristoph. Pac. v.* 173: unde propterea fortasse tam frequenti Deorum interventu usus est Euripides, non quod ipse hanc rationem probaret, sed ut populi isti libidini indulgeret, spectatoresque delectaret. Fabulae denique conclusione Sophoclem et Euripidem vicit Aeschylus. Choëphororum finis, quo ad Eumenides transitus paratur, universo poëtae consilio aptissimus est: quo loco totius trilogiae, et necessitudinis qua tres illae fa-

bulae continentur, ratio habenda est: quam rem supra in Cap. II. exposuimus.

Pervenimus iam ad ea quae magis ad ipsam poësin pertinent: ea dico, quaecunque tragici nostri ad ornatum contulerunt, sive illud in rebus, aut in narrationibus, vel in verbis, aut in sententiis spectetur. Atqui singula recensere longum est et inutile; quare nonnulla tantum adferemus, eaque potissimum, in quibus optime inter poëtas illos comparatio institui poterit.

Digni sunt qui conferantur Aeschyli et Sophoclis loci, ubi Clytaemnestrae somnium narratur. Agamemnonis sceptrum, indeque exortus ramus viridus quo Mycenae obumbratae fuerint, et serpens Clytaemnestrae pectori admotus, sanguinemque cum lacte educens, idem portendunt. Utrique viso nocturno eadem est vis, eadem significatio; sed hoc terrorem movet, illud maiestatis quodam sensu insigne est: utrumque diversum plane utriusque poëtae ingenium declarat. Clytaemnestrae somnium apud Sophoclem dicitur, *v.* 473, ἁδυπνοὰ ὀνείρατα· apud Aeschylum vero idem vocatur, *v.* 32,

> τορὸς — φόβος ὀρθόθριξ,
> δόμων ὀνειρόμαντις, ἐξ ὕπνου κότον
> πνέων.

Saepius tragici eiusmodi somnia adhibuerunt, ut in fabulae initio, divinationis quodam genere, futura significarent: qualia sunt Atossae in *Persis* Aeschyli, atque Hecubae Euripidis, et Iphigeniae in

Iph.

Iph. Taur. Ceterum Aeschylus loco nostro Stesichorum fortasse imitatus est, vel eius inventum in rem suam convertit. Stesichori locum nobis servavit Plutarchus: *De sera numin. vindicta. T. II. p.* 555. *A.*

> Δράκων ἐδόκησε μολεῖν κάρα βεβροτωμένος ἄκρον,
> ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεὺς Πλεισθενίδας ἐφάνη.

Quem sic restituit Valckenaerius, apud *Wyttenb. in Notis ad Plut. Moral. h. l.*

> Τᾷδε δράκων μὲν ἔδοξε μολεῖν βεβροτωμένος ἄκρον
> Ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεὺς Πλεισθενίδας ἐφάνη.

Alia ratione I. A. Suchfort, in *Fragm. Stesichori p. XXVII.* Locum bene constituere et interpretari difficile est: difficile etiam affirmare undenam sumtus sit. Stesichori Ὀρεστείαν laudat *Athenaeus XII. p.* 513. *A.* ex qua locum sumtum dicere Wyttenbachius dubitat, quia lyrica sunt quae ex eo poëmate affert *Schol. Aristoph. Pac. v.* 797. Sed adeo pauca sunt quae de carmine isto novimus, ut non satis certo cuiusmodi fuerit statuere possimus. Non uno fortasse metri genere in eo usus est poëta: praeterea lyrica esse potuerunt quae Plutarchus servavit, in quem modum ea restituere conatus est Suchfortius. Ad Orestiam certe magis pertinuit argumentum, quam ad carmen de Helena (inter cuius fragmenta versus illos retulit Suchfort. *p. XXVII. sq.*) i. e. ad τὴν Ἑλένης κατηγορίαν, quam caecus factus, ut hoc malo liberaretur, retractasse dicitur

 Ste-

[illegible] Cap. I. Co- [illegible] et quon- [illegible] [illegible] Cy[illegible] [illegible]

[illegible] Sophocles [illegible] sed his [illegible] et Chrysothe- [illegible]

[illegible] quod [illegible] qua [illegible] defendere co- [illegible] ratio [illegible] consilio con- [illegible] canere vo- [illegible] sed certe gressu in-

incedentem: propterea Clytaemnestrae oratio, *Agam.* *v.* 1345. *sqq.*, ita comparata est, ut insolenti laetitia exsultans, et impotenti superbia elata, impia mulier indignationem moveat: ita ut Deorum in puniendo tarditatem accusare velis, et cum Choro Sophocleo exclamare:

ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διός, ἢ
ποῦ φαέθων Ἅλιος, εἰ
ταῦτ' ἐφορῶντες
κρύπτουσιν ἕκηλοι;

Sophocles ad Electram omnia retulit. Hinc Clytaemnestrae defensio eiusmodi est ut, nacta sic opportunitatem, severitati et odio in filiam, iracundiae, atrocitati indulgeat, unde Electrae malis nova accedit calamitas. Euripides vero Clytaemnestrae mores *vere* effingere conatus est (1), neminem existere ratus, cui non cum vitiis multis virtutes quasdam natura dederit. Praeterea Fati necessitati plurimum tribuens, Clytaemnestram tam odiosam effingere necesse non habuit. Inde minori contentione et remissius disputat Clytaemnestra, neque filiae irascitur: facinus non adeo defendit, quam potius excusare conatur. Eodem pertinent poëtarum loca, quibus Aegisthi imperium tenentis superbia, Agamemnoniaeque stirpis indigna conditio exhibentur: in Aeschyli *Agamemn.* *fine.* *Choëph.* *v.* 130. *sqq.* *v.* 433. *sqq.* Sophocl. *Electr.* 255. *sqq.* Eurip. *El.* *v.* 298.

(1) Vide quae Cap. III. disputavi.

v. 298. *sqq.* in quo Euripidis loco animadvertendum est Electrae verba oratorio generi proxime accedere, illudque ipsum, quod nonnunquam in Euripide reprehenditur, hic rei et personae aptum esse, adeoque duplicem consequi laudem.

Sophocles et Euripides eadem, qua Aeschylus, incedentes, ne actum agere viderentur, non tantum ipso fabulae argumento aliter usi sunt, sed varios etiam quaesiverunt ornatus, quibus rem notam nova quasi facie proferrent, vesteque splendidiore induerent. In utriusque Electra pulcherrimum habemus eiusmodi ἐπεισόδιον: in altera confictam de Orestis morte narrationem, in altera nuntii Aegisthum sacra facientem interfectum esse referentis orationem. Singulari arte uti debuit Sophocles ut auditores teneret: periculum erat enim ne, haec omnia simulata et falsa esse scientes, Paedagogi verba parum curarent: a quo prudenter et ingeniose cavit poëta. In omni certaminum genere victor primum exstiterat Orestes, *v.* 684. *sqq.*, omniumque ore ferebatur, quo magis excitatur imminentis casus miseratio. Quin etiam in curuli certamine, octo adversariis universa quadam clade conturbatis, *v.* 721. *sqq.*, ad finem usque cum uno tantum superstes, *v.* 729, in eo est ut victoriae praemium adipiscatur, *v.* 731. *sq.* Auditorum animi hoc modo dubia et anxia exspectatione intenti, infelici rei exitu perinde moventur, ac si non ficta sed vera esset. Quae de Orestis morte narrantur, *v.* 739. *sqq.*, conferri possunt cum loco Euripidis *Hippolyt.* *v.* 1226. *sqq.* In Sopho-

phocleo imitus placet illud, *v.* 745, ἄλλοτ' οὐρανῷ στῦλη προφαίνων, quod nec digne nec eleganter dictum est. Homerum imitatus esse videtur Sophocles, *v.* 714:

> ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα, δεξιὸν δ' ἀνεὶς
> σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.

In quibus agnoscas quae filium Antilochum monet Nestor, *Iliad.* Ψ. *v.* 334. *sqq.*

> τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους· κ. τ. λ.

Orestes etiam, quod Antilocho suadet Nestor, *ibid.* *v.* 319, tardiores habens equas, certaminis initio moderatius iis utitur, ut in fine integriores habeat, *v.* 727: quem locum ex Homerico illo interpretatur Hermannus. Civium denique suorum benevolentiam captare studuit Sophocles Atheniensi isto auriga, *v.* 700, Ἀθηνῶν τῶν θεοδμήτων ἄπο: et *v.* 724, ὀξὺ Ἀθηνῶν δεινὸς ἡνιοστρόφος· cui etiam victoriam tribuit: cf. Hermann. *Comment. de Trag. et Epica Poësi c. VIII.* Saepius hoc artificio usi sunt tragici ut auditorum animos sibi conciliarent. Pertinent eo fabulae Aeschyli *Eumenides*, Sophoclis *Oedipus Coloneus*, in iisque praesertim loca *Eumen.* *v.* 732. *sqq.* *v.* 877 *sqq.* *v.* 997. *Oed. Col. Chorus vss.* 664. *sqq.* etc. Contraria exempla, quibus Athenienses tecte notantur, ex Euripide adtulit Brumoy, *Discours sur le Parall. des Theatr. p. CXXIII.* Eo forte pertinet locus in Electra nostra Euripidis *v.* 381. *sqq.* οὐ μὴ φρονήσεθ', ὦ, etc. Euripidi certe

 non

non nova tantum; sed antiquior etiam comoedia ipseque Aristophanes multum debuerunt.

Sacrificii adcuratam et elegantem descriptionem praebet Nuntii in Eurip. Electra narratio. Cuncta tam probabiliter procedunt, tam vere expressa sunt, ut rei agendae interesse tibi videaris. Timidus rex, idemque superbus, ambigue tecteque precatur; uti Clytaemnestra in Sophoclis fabula, *v.* 630. *sqq.* Impiae Aegisthi preces, quum in eo sit ut commissa scelera morte exsolvat, singularem habent vim, et terrorem movent: precanti adstat Orestes, i. e. ille cui vindictam Dii commiserunt: mox victimae exta futurum rei eventum portendunt. Animadvertendum est universe hanc Aegisthi sacra facientis mortem, peculiari quodam maiestatis et solennitatis sensu insignem esse. Locus, personae, scelus commissum, poena hoc modo repetenda, omnia eodem tendunt. Occupatum imperium tenet Aegisthus, securitate fruitur criminibus parta, delecta satellitum manu stipatus, Argivorum rex, nihil habere videtur quare Orestem iuvenem, vagum, exsulem metuat. Nymphis sacra facit, nec precatur a Diis ut plura sibi concedant: quo pervenit fortunae, ut proprium quietumque maneat, hoc orat, hoc precatur. Verum nec sceptrum nec imperium nec satellitum manus nec preces virum scelestum tutum praestant a Deorum vindicta. Iam tecta subiit ultor a Diis missus: hic sacris interest, hic precanti adstat, hic imminet, hic ferit: ad aram ferit, quasi victimam Divinae Iustitiae debitam.

Poe-

Poena nunc tandem repetenda Dearum templi sanctitate, sacrorumque solennitate illustratur. Ipsis coram Diis res agi videtur.

Ad miserationem movendam aptissime comparata est scena qua Clytaemnestram filio supplicantem fecit Aeschylus. Aegisthum primum luget infelix mulier: mox proprio vitae periculo exterrita, mortem deprecatur:

ἐγώ σ' ἔθρεψα, νῦν δὲ γηράναι θέλω.

Facinorum dein excusatione filium delinire studet: quibus tamen Orestem non moveri videns, metu deposito, sensim animum ad iram convertit, Agamemnonem acerbe carpit, precatur simul et minatur filio, somnii denique veritatem agnoscit. Ceterum hoc fere vitio laborat scena illa, quod in ea producenda sibi indulserit poëta. Vehementiores enim eiusmodi affectus brevi oratione exponendi sunt. Friget locus si longior est. Praeterea progressio quaedam requiritur, ut affectuum violentia crescat et augeatur, quod in fine neglexit Aeschylus. Precatur, se excusat, minatur Clytaemnestra; sed placide nimis minatur: debuisset irasci, indignari, imprecari, furere. Dolendum est ultima h. l. Clytaemnestrae verba periisse. Turbatum enim esse in plerisque Editionibus stichomythiae ordinem, recte perspexit Wellauerus. Nimirum versus 916, ἦ κάρτα μάντις; etc., ad Clytaemnestram non pertinet, sed Oresti est restituendus: atque inter hunc et sequentem, πάτρος γ' ἂν cet., quem item Orestes recita-

ta.

tavit, intercidit versus a Clytaemnestra pronuntiandus (1). Insignis autem est locus, *v.* 883:

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστὸν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα,
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

Voces etiam *ὦ τέκνον* Clytaemnestrae saepius, illudque aptissime tribuit Aeschylus. Utrumque imitatus esse videtur Euphorio, ap. *Stob. Serm. LXXVI. p.* 451. *Gesn.*

τέκνον, μὴ σύ γε μητρὸς ἀπ' ἀνθερεῶνας ἀμήσῃς,
ἠελίους ἥτις σε τριηκοσίους ἐφόρησα,
τέκνον, ὑπὸ ζώνῃ, φοβερὰς δ' ὠδῖνας ἀνέτλην
ἐς φάος ἐρχομένου, λαρὸν δ' ἐπὶ χείλεσι πρώτη
μαστὸν ἐπισχομένη, λευκῷ δέ σ' ἔδευσα γάλακτι (1).

Quo

(1) Pertinent iam quaedam in hac quoque scena ad Eumenidum tragoediam: v. g. *v.* 899. *et* 911, quibus ll. filio *γενεθλίους ἀρὰς* et *ἐγκότους κύνας* minatur Clytaemnestra.

(2) In ult. versu, apud Stobaeum, legitur *δέ σ' ἔλουσα γαλ.* Iacobsius, qui in emendando literarum ductus sequi solet, proposuit *λευκῷ σ' ἔπλησα γ.* quod recipit A. Meineke, Euphorionis fragm. editor. At merito Valckenaerianum *δέ σ' ἔδευσα γ.* praefert Doctiss. I. Geel, *Bibl. Crit. N. I. p.* 53, quod propius etiam quam Iacobsii coniectura literarum ductui accedit: ΔΕ C'ΕΛΟΙΣΑ — ΔΕ C'ΕΔΕΥΣΑ. Quare hoc ipsum a Geelio non erat mutandum in *σ' ἔδδευσα*: recte enim animadvertit illud *δὲ* non sine quodam affectu bis positum esse. Nam conturbati et anxii oratio eiusmodi p rticulis abundare solet.

Quo loco singularem vim habet vocula σὺ cum emphasi quadam pronuntianda, μὴ σύ γε. Iure enim a Clytaemnestra poena repeti poterat; sed eius exactor esse non debuisset ipse filius.

Diversam atque Aeschylus viam ingressi sunt Sophocles et Euripides. Clytaemnestram filio supplicantem spectatorum oculis non obtulerunt; sed eius preces et clamores audiuntur. Quod fortasse in scena maiorem vim habuit. In loco Sophocleo insignis progressio spectatur, ad quam non parum facit Electrae fratrem excitantis ferocitas. Animadvertendum est praeterea Sophoclem h. l. Aeschyli verbis uti, et ita quidem ut nec patrem tragoediae imitari studuerit, neque eius verba tanquam propria protulerit, sed de industria Aeschyli locum auditoribus in memoriam revocare voluerit. Agamemnon enim, in h. nom. fabula, ab uxore percussus exclamat, v. 1316:

ὤ μοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω·

et deinde,

ὤ μοι μάλ' αὖθις, δευτέραν πεπληγμένος.

Prima horum versuum verba Clytaemnestrae tribuit Sophocles, v. 1411:

ὤ μοι, πέπληγμαι . . . . . .

et

ac mox:

ὤ μοι, μάλ' αὖθις . . . . . . (1);

Quae quantum valuerint ad commovendos Athenienses, Agememnonis apud Aeschylum morientis clamorum memores, nemo non sentit. Divinae Iustitiae quasi decreto quodam Clytaemnestra, letali vulnere percussa, iisdem verbis uti videbatur, quibus ille, quem olim impie trucidaverat (2).

Narrationi plurimum tribuit Euripides. Orestes enim et Electra facinoris conscientia agitati matris caedem deplorant, et sera facti poenitentia moti, singula memorant quaecunque ipsos a tanto scelere deterrere debuissent. Atqui animadvertendum est multo facilius esse res ipsas spectatorum oculis offerre, quam earum narratione ita defungi, ut auditorum animi non minus moveantur: nam

» Segnius irritant animos demissa per aurem,
» Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
» Ipse sibi tradit spectator."

Quare duplex illa laus Euripidi hic non est deneganda, quod Aeschylum et Sophoclem, nisi gravitate et terroris sensu, at certe veritate, dulcedine, et

(1) Blomfield. in loco Aeschyli, et Hermann. in Sophocleo, legunt ὤ μοι: improbantibus Reisig. *ad Oed. Col. p. CXVII*, et Wellauero *ad Agam.* Quidcunque legas, idem apud Aeschylum et Sophoclem legendum est.

(2) Vid. Boeckh. *Graec. Trag. Princip. etc. p.* 214.

et miseratione commovenda, facile vicerit: nec mihi temperare possum quin quaedam adscribam ex iis, quae sibi sororique exprobrat Orestes, *v.* 1208:

κατεῖδες, οἷον ἁ τάλαιν' ἐῶν (1) πέπλων
ἔβαλεν, ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναῖσιν —
ἰώ! ἰώ μοι! — πρὸς πέδῳ
τιθεῖσα γόνιμα μέλεα; τακόμαν δ' ἐγώ.

βοὰν δ' ἔλασκε τάνδε, πρὸς γένυν ἐμὰν
τιθεῖσα χεῖρας· τέκος ἐμὸν, λιταίνω·
παρῄδων τέ γ' ἐξ ἐμᾶν
ἐκρήμναθ', ὥστε χέρας ἐμὰς λιπεῖν βέλος.

Quod autem ad locos attinet pulchriores, quibus fabulae nostrae ornantur, non est quod singulos adferemus, aut de iis disseramus. Longiores enim iam fuimus, quam ferebat instituti nostri ratio, longiores etiam, quam ut lectorem, si cuius forte in manus veniet libellus, vel mediocriter teneamus. Praeterea adeo diversa sunt ista loca, cum scriptorum ingenio, tum argumento et dictionis genere, ut conferri fere nequeant. Quare de paucis illis tantum quaedam subiungemus quae comparationi in-

(1) Locus ab Interpp. varie tentatus: ἐμῶν πέπλων ἔλαβεν· coniecit Elmslei. *ad Med.* 1229. *not.* X. Sed vocis πέπλα de veste virili a tragicis usurpatae exemplum me legere non memini: praeterea tenendum est Orestem in hac fabula viatoris habitu prodiisse. itaque verisimile non esse eum huiusmodi vestimento indutum fuisse.

instituendae, i. e. libelli nostri consilio aptiora sunt. Pulchriora igitur quaerenti, non erit negligenda (praeter illa quae iam passim notavimus) in Choëphoris Orestis oratio, *v.* 967. *sqq.* quae, adlatis mortuis Aegistho et Clytaemnestra, ostenso vestimento in quo Agamemnon fuerat interfectus, Apolline cunctoque Argivo populo testibus adhibitis, imminentibus denique materni sanguinis Furiis, magnam in scena vim habuisse videtur: non erit negligenda, tota fere Sophoclis tragoedia: Electrae fortitudo Chrysothemidisque timiditas, Electrae furores, eiusdemque urnam tenentis omni laude maiores querelae: non erunt negligenda Orestis apud Euripidem matrem interfecturi dubia, eiusdemque et Electrae, re peracta, anxius animi dolor et cruciatus: quin etiam locus, quo frater sorori vix redditus, ab eius complexu Deorum iussis divellitur.

Quod in aliis quibusdam fabulis observatur, hoc in Aeschyli in primis tribus illis tragoediis, quae ad nobilissimam hanc tetralogiam pertinuerunt, animadverti potest, poëtam uno praesertim loco, in quem omnia contulisse videtur, omnem ingenii vim exseruisse. Insignes illi loci sunt in *Agamemnone* Cassandrae vaticinium, in *Eumenidibus* ὕμνος δέσμιος, in *Choëphoris* nostris carmen illud, quod Chorus canit cum Oreste et Electra regis tumulo insidentibus. Nihil est enim procul dubio in tota hac fabula, quod cum loco illo conferri possit: paucissima, non tantum in ipso Aeschylo, sed etiam in Sophocle et Euripide, quae cum eo in con-

contentionem possint venire. Cuius carminis singulas laudes recensere, foret ineptae temeritatis. Neque enim poësis analytica ratione considerari debet, quae in orationis argumentis ponderandis usu venit. Atqui in loco nostro sive argumentum, sive rerum ordinem, sive animi affectus, sive orationis dolores, sive vim tragicam, sive pulchri sensum, sive denique poëseos sublimitatem, aut dictionis exquisitam curam, vel artificiosas stropharum responsiones quaeras, omni laudum genere carmen illud inter pulcherrima Graecae tragoediae monumenta referendum est. Totius fabulae argumentum eo continetur: Agamemnonis memoria excitatur: narratur eius caedes: exponuntur quaecunque indignationem movere possint: futura significatur ultio, tecte primum, mox aperte. Chori praesertim partes prudentissime distributae: Orestes admonetur erigitur, confirmatur, excitatur. Eodem, admirabili progressione, tendunt omnia.

θεῶν τῶν κατὰ γᾶς ὅδ' ὕμνος.

Aeschyli locum imitati sunt Sophocles et Euripides apud quos Electram luctui indulgentem consolari conatur Chorus. Atqui utriusque poëtae carmen illud, etsi ad Aeschyleam vim istam non accedit, proprias tamen habet laudes, easque tantas, ut utrumque pulcherrimum esse affirmare non dubitem, modo cum Aeschyleo non conferatur. Animadvertendum est etiam diversum ab Aeschylo fuisse Sophoclis et Euripidis consilium. Apud

hos ad Electram omnia spectant. Agamemnonis, Clytaemnestrae, Orestisque mentio non fit, nisi quatenus haec omnia ad miseram Electrae conditionem pertineant. Sophocles, qui in universa hac fabula moribus praesertim operam dedisse videtur, hunc etiam locum, primo Electrae ingressu, indoli eius explicandae adhibuit. Quod si bene tenetur, quisque facile confitebitur poëtam summa arte Chori monita Electrae querelis opposuisse: his ipsis enim Electra, quae nec sibi temperare, neque aliis aut parere aut obsequi potest, animi magnitudinem, pietatem, constantiam, iram, odium, omnes animi motus exserit. Hoc carmine auditoribus statim talis offertur Sophoclea Electra, qualem deinde se praestat, Aegistho necem struens, matris caedis socia, fratremque propellens tanquam furiis acta. Huius loci vim ut quis bene percipiat, sufficit modo sibi fingat Sophoclem totum hoc carmen praetermisisse, et Electram versu demum 248 in scenam processisse, Choroque acerbe quidem, sed placida tamen oratione, odii causas exposuisse. Nec praetermittendum locum illum ita comparatum esse ut auditores vehementer commovere debuerit, quod tragico poëtae non est negligendum. Evagatur, dolet, miseratur, imprecatur, furit Electra: malorum consolationem invenire nequit, accipere recusat. Patrem ulcisci nequit, sed eius fatum lugere potest. Hoc tantum quaerit, hoc unice delectatur:

ἀλλ'

ἀλλ' ἐμέ γ' ἁ στονόεσσ' ἄραρεν φρένας,
ἃ Ἴτυν, αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται,
ὄρνις ἀτυζομένα, Διὸς ἄγγελος.
ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεὸν,
ἅ τ' ἐν τάφῳ πετραίῳ,
αἶ αἶ, δακρύεις.

Chori denique benevolentia delinitur sensim et placatur Electra, adeo ut tandem composite magis cum eo sermonem conferre possit, *v.* 248. *sqq.*

Locum Euripidis si inter pulchriora huius poëtae refero, non est quod sublimis efferatur, aut cum artificioso metrorum usu, quo Aeschylum et Sophoclem saepe vicit, poëscos exquisitos flores coniunxerit; sed quod carmen illud nativa quadam simplicitate et singulari suavitate insigne, nihil habeat, quod non sit verum, aptum, dulce, ex ipsa rerum natura petitum: accedit elegantiae et facilitatis laus Euripidi propria. Quum enim Aeschylus et Sophocles terrorem, vim, vehementiores animi adfectus adhibuissent, haec sibi praerepta videns, aliam plane viam ingressus est Euripides. Eadem Electra, quae in fabulae fine ferocior etiam est quam Sophoclea, in eiusdem initio, omni ope, amicis, vitae praesidio privata, animum despondet, et calamitatum impetu victa et obruta, omnem spem, quae hominem in miseriis consolari solet, abiicit. Hominis haec est natura, ut fortem et vehementem se praestet, quamdiu adversae fortunae resistere valet, fractis vero malorum cumulo animi

viribus, demissus sit et lenis: qualis est Euripidis Electra. Inde neque irascitur, neque effertur, neque indignatur, sed miserias tantum suas exponit, quarum non habet solatium aut levamen.

σύντειν', ὥρα, ποδὸς ὁρμάν·
ὢ ἔμβα, ἔμβα κατακλαίουσα·
ἰώ μοί μοι!
ἐγενόμαν Ἀγαμέμνονος
κούρα, καὶ με τέκεν Κλυταιμνήστρα. κ. τ. λ.

Insignis est locus quo mulierum rusticarum Chorus adveniens, Electrae suadet ut ad Iunonis festum se conferat: laetorum enim festorum mentio opportune Electrae conditioni opponitur.

οὐκ ἐπ' ἀγλαΐαις, φίλαι,
θυμὸν, οὐδ' ἐπὶ χρυσέοις
ὅρμοις ἐκπεπόταμαι
τάλαιν', οὐδ' ἱστᾶσα χοροῖς
Ἀργείαις ἅμα νύμφαις,
ἑλικτὸν κρούσω πόδ' ἐμόν.
δάκρυσι δὲ χεύω.

Apte etiam Chorus virginem miseram admonet ne querelis suis Deos infestos sibi habeat, sed eos potius precibus placare studeat. At vero,

οὐδεὶς θεῶν ἐνοπὰς κλύει
τᾶς δυσδαίμονος.

Dis-

Disputationi hic finem facere mihi quidem non proposueram, sed ratio iubet. Quum enim inter tragoediae partes dictio etiam, λέξις, recenseatur, quaedam subiungere de diversa trium tragicorum dicendi ratione, verborum usu, orationis genere, cet., in animo me habuisse confiteor. Quod consilium provectioris aetatis viri, harumque literarum periti, iuvenili, spero, temeritati condonabunt, ignotae rei periculum subire non dubitanti; turpi vero non tribuent arrogantiae, propriis viribus inepte se efferenti. Uti enim quisque facile sentiat, Aeschyli orationem gravem esse, et grandem, seque altius tollere atque exsurgere, Sophoclis vero simplicem, nobilem, elegantem, Euripidis denique lenem, ornatam, exquisitam: ita diversa illa genera accurate investigare, et exemplis illustrare nemo potest, nisi cum diligente tragicorum poëtarum studio reconditam doctrinam, et singularem linguae Graecae scientiam coniunxerit. Quod postquam intellexi, opusculo iam finem imponere malui, quam scribendi intemperantia ineptus et ridiculus videri. Atque sic quoque periculum esse video, ne quibusdam libellus in mentem revocet Euripideum;

ἔστι δ' αὖ σιγὴ λόγου
κρείσσων γένοιτ' ἄν.

 Qua-

Quare non hoc etiam committam, ut in operis fine, non dicam temeritatis, sed impudentiae notam subeam.

De tragicorum autem Graecorum meritis aut vitiis hic quaedam ἐπικρίσεως loco subiungere, cum instituti mei, tum ipsius rei ratio vetat. Non enim hoc quaesivi ut hanc omnem rem ad liquidum perducerem; sed ut adcurata harum fabularum recensione unicuique, poëtarum illorum studioso, facultatem melius et verius iudicandi facerem: tum etiam ut Euripidem a nimia quorumdam reprehensione vindicarem. Praeterea quae minus apte a tragicis dicta aut inventa sunt, ea pleraque passim notavi; quae vero ad eorum diversas plane ingenii dotes pertinent, ea facilius a legentibus sentiri, quam a disserente definiri possunt. Poësis enim eiusmodi est, ut eius sive laus sive reprehensio, nisi ultro mente percipiatur, ad mathematicam certe rationem et evidentiam exigi nequeat.

Expositis igitur tribus illis fabulis, (ex quibus tamen si quis unice iudicium ferat, is iniquissime iudicabit) singulis earum meritis ulterius praedicandis inutilem et nimis diligentem operam non impendam, ne tragicos poëtas trutina videar examinare et ponderare, atque

ἀνδρῶν ποιητῶν τυροπωλῆσαι τὴν τέχνην;

Si vero me ultimo loco sententiam meam aperire oportet, paucis ea verbis continebitur. Aeschylum-

lum enim veneror, Sophoclem admiror, Euripidem denique diligo. Sophocli igitur primas quidem concedo; sed ita tamen ut omnibus parem *paene* laudem, in dissimili scribendi genere, iure meritoque a veteribus tributam esse censeam: vid. *Cic. de Or. III.* 7. De Aeschylo vero et Euripide idem sentio, quod Bacchus apud Aristophanem, *Ran. v.* 1460:

τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφὸν, τῷ δ' ἥδομαι.

T A N T U M.

THESES.

I.

Maximarum rerum artiumque disciplinae veterum Graecorum Romanorumque scriptis continentur: verum hoc nomine nobis in primis commendantur, quod his literis percipiendis ad cogitandi dicendique elegantiam proficimus.

II.

Hunc finem qui consequi vult, is veterum scripta, cum in singulis partibus, tum universa atque integra, accurato iudicio tractare debet, ut videat quid, quo modo, et a quo quidque scriptum sit.

III.

Si quaeritur quo demum tempore in Graecia scribendi usus ad privatae vitae commodum literarum-

que studium et custodiam usurpari coeperit, in primis gravem auctoritatem habet hoc, Locros Epizephyrios primos fuisse, qui scriptas leges a Zaleuco acceperint.

I V.

Huius tamen artis lentum progressum fuisse, inde colligi non debet, quod oratorum Atticorum principes illi, Pericles et Alcibiades, nil scriptum reliquerunt.

V.

Nicias inter oratores Graecos non est referendus.

V I.

Sophron eiusque filius Xenarchus, mimorum scriptores, quin etiam Alexamenus Teius, non metris, sed prosa oratione usi sunt.

V I I.

Lyrica poësis ac Dithyrambica, illa privati, haec sacri usus fuit, utraque ortum dedit poesi Dramaticae.

V I I I.

In Persis Aeschyli nullus est λόγος πρωταγωνιστοῦ.

I X.

Magnifice magis quam par est de Aeschylo sentit Hermannus, *ad Arist. Art. Poët.* X. 5: quo loco

eius

eius Choëphoros Sophoclis et Euripidis Electrae anteponit.

X.

Thucydidis Historiarum liber octavus ipsum auctorem habere videtur. Nec tamen elaboratus et absolutus est, sed ea tantum continet, quorum narrationem historicus quo minus copiosius adornaret, orationibusque distingueret, vel negotiis fuit impeditus, vel morte occupatus.

X I.

Idem dicendum de Aristotelis libro de Arte Poëtica, qui non adeo excerpta continere videtur ex maioribus eiusdem argumenti libris, quam potius adumbrationem eorum, quae philosophus postea libris illis de Arte Poëtica fusius et accuratius explicaturus erat.

X I I.

Recte Cicero, Legg. II. c. 7, *velle* se imitari Platonem dicit: non enim imitatur, sed longe ab illa divinitate abest.

X I I I.

De Virgilio recte existimare non possumus, nisi antiquiorum poëtarum Latinorum fragmentis diligenter exploratis.

X I V.

Impotens illa dominatio, qualem in Asiaticis populis regnasse videmus, perpetuo fuit a Graecorum ingenio aliena.

X V.

Latine scribendi facultas continetur veterum literarum intelligentia: hanc penitus tollere videntur, qui ad illam perveniri posse desperant.

X V I.

Neutra sententia probanda est, neque eorum qui omnia latino sermone explicari volunt, neque eorum qui in omnibus patrio utuntur sermone.

X V I I.

Non stupida tantum, sed sordida et abiecta eorum ratio est, qui nullo bonarum artium et literarum incommodo veterum literarum studia contemni ac deponi posse existimant.